

17 Deindè, quia radii Lucis divergentes, quò magis à Sole distant, eò evadunt rariores; quo fit, ut idem numerus particularum, qui Solis superficiem posset obtegere ad replendam ultimam sphæræ Solis luminosæ superficiem sufficiat. Numerus autem particularum Lucis, qui posset Solis superficiem cooperire, incredibiliter, quām vulgò existimatur, minor est: nam si aquæ materia cum spatio ab ea occupato comparetur, invenitur, ut diximus, sicut 1 ad 38: si verò materia aeris (cujus raritas est ad raritatem aquæ ut 800 ad 1) cum spatio ab eo occupato comparetur, erit sicut 1 ad 30.400. Nunc jam flammæ raritas ad raritatem aeris conferenda est, ut ratio constare possit materiæ flammæ ad spatium ab ea occupatum: nam si raritas fuerit sicut 100 ad 1, materia flammæ erit ad spatium flammæ sicut 1 ad 3040.000.

18 Potest autem, quæ sit ratio inter flammæ atque aeris raritatem, hoc modo conjectari: si bulla aeris per aquam eadem velocitate ascendit, ac per aerem flamma; quidquid gravitatis superat, utrobique par erit. Sin velocitas flammæ in ascensu fuerit dupla, causa impellens (quod alibi diximus, cùm de renixu Medii) quadrupla erit: videmus autem sèpissimè in flamma scintillas quasdam cùm illa citissimè avo-

lare, velocitatique ultra decuplam comparatè ad bullam aeris esse; ponatur ergo saltem decupla, tunc vis gravitatis *respectivæ* ut dicitur, seu gravitatis aeris supra flammæ gravitatem erit centupla, item aeris densitas erit saltem comparatè ad flammæ densitatem sicut 100 ad 1.

Ergo si densitas aquæ ad aerem est sicut 800 ad 1, densitas illius ad flammatum erit ut 80.000 ad 1; itaque materia flammæ erit ad spatium ab ea occupatum in superficie Solis ut 1 ad 3:040.000; si vero cum raritate Lucis conferatur in superficie Saturni, quis de hac raritate ideam perfectam poterit obtinere?

19 Objiciunt 3.<sup>o</sup>: si Lux esset emanatio flammæ, effectus ejus eò procederet, ut corpora illuminata comburerentur, quod falsum est: ergo. Respondemus, non flammatum quamlibet satis per se valere ad comburendum, sed eam requiri, quæ corporis incendio idonei compaginem solvendi tantam vim habeat, ut particulæ igneæ, ex quibus illud constituitur, possint tumultuatim avolare, novamque flammatum conflare: particulæ autem Lucis, & si naturâ flammæ, rarescunt adeò, dum corpus illuminant, ut combustionem inducere nequaquam possint.

20 Confirmatur: nam si radiorum Lucis

cis fiat unitas per speculum causticum , & combustio exorietur , & alia omnia , quæ flamma efficit : ergo non particularum natura , sed sola earum raritas in causa est , ut ejusmodi effectibus , cùm ii non subsequuntur , careant.

21 At verò , ajunt 4.º si Lunares radii per speculum causticum in unitatem coeant , flammeus in foco effectus nullus est , nedum caloris : ergo . Hoc verò expeditur facillimè . Siquidem de radiis Lunaribus intelligendum idem volumus , quod de radiis Solaribus dicimus è pariete reflexis , ut potè quorum vis in reflexione parietis inordinatâ absunitur , quamquam vi retinam pulsandi , ac nervi optici papillas dilacerandi potiantur ; sicut experimento comperitum est , si quandò per majora telescopia Lunam diutius observamus .

22 Tandem & 5.º objiciunt : si lumen est substantia luminosi in orbem diffusa , spatia cœlorum non erunt omnino vacua , prout oportet ne retardentur in motibus suis Planetæ ; sit enim rarissima materia Lucis , aliquatenus corpora retardabuntur , secundum Leges à nobis traditas ; quæ quantumvis insensibilis retardatio , sensibilis fiet decursu temporis : quod nequaquam ita evenit , cùm ab Hiparchi tempore per 4 mille annos nulla in motibus differentia agnoscatur .

Ut

23 Ut huic difficultati fiat satis, 1.<sup>o</sup> animadvertendum Lumen non esse fluidum stagnans per spatia cœlorum undique diffusum, sed esse particulas Luminis à Sole ejaculatas in orbem: sicut pluvia non est aqua stagnans, sed guttæ pluviales à nubibus ad terram demissæ.

2.<sup>o</sup> Quod mobile quocumque dum tempore pluviali moveretur projectum, nequaquam à pluvia retardaretur in motu, licet sensibiliter valde retardaretur, si per aquam stagnantem trajiceret. Causa enim retardationis ab eo provenit, quod motus impetrari debet fluido stagnanti, ut locum cedat mobili; hoc autem lege inertiae vires corporis projecti absunt; nihil autem hujusmodi invenitur, dum mobile per pluviam trajectum in sua velocitate perseverat.

Hoc autem viam sternit ad doctrinam de motu Planetarum per spatum, quod à particulis igneis à Sole projectis intercipitur; nequaquam enim ullus motus igneis particulis tribuetur, ut locum cedant mobili.

24 Addes. Hæ particulæ igneæ à Sole ejaculatae, dum in Jovem impingunt, aliquem illi motum tribuent: ergo quomodo cumque res sit, illum in curso suo turbabunt. Dico quod duplex in Jove motus existit, dum in orbem agitatur, 1.<sup>o</sup> est projectionis, quo gradus 360 conficit tempore

revolutionis suæ; hic nequaquam à particulis igneis turbabitur; hæc enim per radios à centro ductos agunt, projectio verò Jovis per Tangentes: nulla verò oppositio inter Tangentes & radios.

Alter verò motus Jovis est gravitatis in Solem, quo à Tangente declinat, ut orbitalm circularem conficiat; hæc autem gravitas valdè minuetur per particulas igneas à Sole ejaculatas per lineas è diametro oppositas lineæ attractionis. Nos verò, qui nunquam Jovem cognovimus, nisi ab igneis particulis percussum, nunquam illius gravitatem in se, cum hac imminuta gravitate comparare potuimus. Hinc sit, quod quantacumque sit vis Luminis in Jovem, ut illius minuat gravitatem, nequaquam id ullo modo percipi poterit.

25 Sed ultrà in objectione insistunt: cùm Jupiter sit Sphericus, solæ particulæ Luminis, quæ Jovem per radios centrales percutiunt, illi perpendiculares erunt, reliquæ verò quæ in anteriorem superficiem incidunt, motu obliquo percutiunt, ac illo resoluto eum retrorsum impellent: retardabitur ergo Jupiter aliquantulum.

26 Sed incassum hæc objiciuntur, eadem namque ratione particulæ Luminis, quæ obliquè in partem Jovis posteram impingunt motu resoluto eum ad ulterius progredien-

dum impellent: igitur nequaquam ille retardabitur à Lumine. Sed hæc ab iis, quæ de propagatione Luminis modò dicenda sunt, uberiorem lucem accipient.

## §. II.

*De Propagatione Lucis.*

**Q**uemadmodum in natura Lucis statuendâ non convenient inter se Philosophi, ita & in explicanda ejusdem propagatione appareat eorum dissensio. Nam Gassendiani volunt, propagationem hanc fieri per motûs communicationem, atque per subsequentes vicissim globorum Lucis ictus. Newtoniani verò eam fieri statuunt per ejaculationem particularum Lucis. Itaque quomodò hæc Lucis continua effusio contingat, videamus.

27 Quando Tellus est in conjunctione

Optic. cum Jove, id est (Optic. Tab. 1. Fig. 1.),  
Tab. 1. quando illa est in A, seu inter Solem & Jovem invenitur, maximu[m] discrimen obser-vatur in emersione Satellitum Jovis ab hujus umbra, referendo ad eoru[m]dem emersio-nem, quæ fit, quando Tellus est in B, seu in ejus oppositione, nimirum quando Sol invenitur inter Tellurem & Jovem. Totum autem discrimen in eo positum est quod in

mub

M

con-

conjunctione A Lux Satellitum citius percipitur, quam in oppositione B; tunc enim per horæ quadranteum retardatur: ergo in percurrenda diametro orbitæ Telluris A B, seu spatio, quod inter locum oppositionis & conjunctionis interjectum est, tantum Lux insumit temporis: ergo in percurrendo hujus orbitæ radio, seu distantia Solis à Tellure insumit Lux circiter 7 vel 8 minuta.

28 Confirmatur: nam quæ in hujusmodi observationibus apparet inæqualitas, distantiarum inæqualitati respondet, ratione *Peribelia* vel *Aphelia* tam Jovis, quam Telluris: ergo quicquid in propaganda Luce fit moræ, id omnino distantiae respondet inter Satellites & visum.

30 Neque verò existimandum est, in eo statim momento, in quo ante oculos observatur, cerni corpus Luminosum quodcumque. Ad hoc enim necesse est, ut radii Lucis à corpore visibili, emissi, aut reflexi usque ad visum perveniant; sicut sonus non in eo momento auditur, in quo corpus sonorum percutitur; sed tantummodo, cum particulae aeris, sive sonus à corpore sonoro emissus ad aures pervenit. Itaque dum primò Satellites ab umbra Jovis egrediuntur, invisibilis sunt, Luxque nova eorum insumit circiter minuta 106, donec

ad Tellurem perveniat in conjunctione, & insuper in oppositione minuta 15.

30 Celeritatem quoque Lucis examinare oportebit, an eadem sit, dum ē Sole egreditur, ac dum à Jove aut Satellite reflectitur; fortasse enim major erit in Sole velocitas, propterea quod ipsa majori vi propellatur. Nec non situs Satellitis proximus Horizonti erit observandus; si enim propè Horizontem sit Jupiter, cum Satellitis emersio observatur, tardius Lux emersionis percipietur. Nam initium Lucis aliás visibile, propter coacervatos juxta Tellurem vapores, invisibile utique aliquandiu reddetur. Certum est enim non extemplo ab umbra egredi Satellitem, sed sensim; præsertim tertium & quartum, quorum motus est lentior. Quandò verò Jupiter prope Meridianum accesserit, non adeò Atmosphæræ vapores crassi erunt, per quos radius Lucis transeat, ideoque prima emersionis Lux citius percipietur. Hæc omnia priùs examinare oportebit, ac etiam Aphelium, vel Perihelium Jovis, ac Telluris, ut de propagatione Lucis exactissimè possimus ratiocinari.

## §. III.

*De Inflexione Lucis.*

**31** Porro ad Lucem pertinet *Inflexio ejus, Reflexio, & Refractio*, quæ sunt proprietates hujus substantiæ, eæque satis notæ. Incipiamus igitur ab ea, quæ ordine prima est. Inflexionem dicimus, cùm radius Lucis per transversum juxta corpus aliquod deflectit à via, quin corpus illud contingat, sed progrederit. Hujus duplex censetur esse causa, attractio nempè, & repulsio Lucis; quæ per experimenta prius illustranda sunt.

**EXPERIMENTUM I.**

**32** Introducatur radius Solis horizontalis in cubiculum apprimè tenebricosum (Optic. Tab. 1. Fig. 2.) qui quidem in perpendiculari tabella MM recipiatur & foramine quadrato, cui latitudo sit linearum decem, vel circiter: tum à parte posticâ foraminis duo aptentur cultra A, B, quorum acumina adeò inter se convenient, ut dum fere contingunt, perfectissimè foramen occludatur. Cultrum A sit fixum ope Cochleæ et in medio ejus dispositæ, ut acumen aptari possit modò in situ verticali, modò in obli-

(Optic.  
Tab. 1.  
Fig. 2.)

blico: cultrum autem B inter duas regulas *mm*, *nn* sit mobile, ut possit accedere, vel ab alio recedere, alterius Cochleæ C ministerio. His ita apparatus.

33 Fiat apertura inter duo cultra circiter duas lineas ampla, Lux pertransibit, & in distantia 3 pedum à foramine apparabit imago Lucida in charta, similis aperturæ, quæ erat in foramine; si autem cultrum mobile sensim accedat ad fixum, ut angustior fiat apertura, Lucida illa imago in charta dilatabitur versus latera, ita ut, cum apertura est angustissima, Lux hinc inde dispergatur, & quandoque spatium occupet 6 pedum, sitque veluti duplex cauda Cometarum: in loco autem R, qui directè respondet aperturæ, Lux non videtur. Sed hinc inde quandoque tres fimbriæ colorate apparent *iii*, *ooo* situ quidem aperturæ parallelo.

### EXPERIMENTUM II.

34 Si cultrum fixum ita moveatur circa Cochleam e illud retinente, ut linea acminis non sit verticalis, sed inclinata, quando cultrum aliud B accedit, imago Lucida in charta figuram habet Infundibuli, ita tamen ut apertura, & imago Lucida sibi invicem non respondeant; sed ita ut pars amplior imaginis angustiori aperturæ respondeat.

Ex-

## EXPERIMENTUM III.

35 Cùm acumina culrorum sunt parallela, atque ope Cochleæ cultrum mobile, modò accedit, modòque recedit motu alterno, Lux in charta tremorem concipit hinc indè; ità ut alternatus unius tantùm cultri motus motum in Lucis imaginem inducat ex utraque parte.

## EXPERIMENTUM IV.

36 Si cultra ità disponantur, ut acumina sint parallela, sed non in eodem plano, & alterum alteri possit superimponi (Tab. I. Tab. 1. Fig. 3.) si cultrum mobile B fuerit anteriùs, fixum verò A sit posteriùs, quandò mobile ad aliud accedit, quin illud contingat, in charta Lux deficit, quæ cultro fixo A respondet, aliaque tantummodò apparet. Si verò cultrum posterius A fuerit mobile, Lux deficit, quæ cultro mobili respondet; ità ut quomodocumque res sit, semper anteriores cultri Lux prævaleat. His positis, sit

## PROPOSITIO I.

37 Lux attrabitur à vicinis corporibus, dum juxta illa pertransit, quin ea contingat.

Nam radii Lucis, qui (experim. 1.<sup>o</sup>) hinc

hinc inde disperguntur, à Linea declinant utrinque versùs cultrum; sed quando corpus juxta aliud pertransiens, à linea recta declinat versùs illud, ab illo attrahitur: ergo Lux à corporibus vicinis attrahitur.

### PROPOSITIO II.

38 *Lucis attractio in minori distantia fortior, in majori remissior est.*

Siquidem quò augustinor est apertura, èd radii Lucis magis disperguntur: ergo in minori distantia à cultro plus radii attrahuntur. Confirmatur: nam (experimento 2.<sup>o</sup>) quando apertura est inæqualis, radii per angustiorem illius partem transeuntes plus inflectuntur, quàm alii per ampliorem aperi-  
turæ partem transeuntes: ergo radii inæ-  
qualiter attrahuntur, quandò eorum distan-  
tia à cultro est inæqualis.

### PROPOSITIO III.

39 *Radii Lucis à corporibus etiam sa-  
lidis repelluntur.*

Etenim (per experimentum 3.<sup>um</sup>) cul-  
trum mobile dum alternis vicibus move-  
tur, in Lucem agit, etiam illam, quæ ver-  
sùs cultrum fixum dispergitur; omnes enim  
radij hinc inde dispersi turbantur: ergo si

Lu-

Lucem attrahit, quæ versùs illud inclinatur, radios alios repellit, qui in oppositam partem inflectuntur. Nam sicut actio, cuius vi radii versùs unum corpus inflectuntur, vocatur *attractio*, ita ea, vi cuius radii recedunt ab illo, *repulsio* appellanda est.

Confirmatur: quia (experimento 4.) quando cultrum unum aliud posterius antecedit, radii à primo repulsi à secundo intercipiuntur, deficitque in charta Lux posteriori cultro respondens: ergo radii ab anteriori cultro repelluntur.

40 Quare, cùm Lux proximè accedit ad corpus solidum, validissimè attrahitur; in majori autem distantia minor est attractio & inflectio; quod si distantia augeatur, repelluntur radii: in majori denique distantia corporis actio in radios Lucis nulla erit, sed rectâ procedent viâ; quia ut vidimus (experimento 1.) cùm apertura non coangustatur, imago Lucis perfectè illi respondet, eique similis est. Existit ergo circa corpus spatium aliud attractionis, post etiam repulsionis spatium aliud.

41 Fortior autem radiorum Luminis repulsio, est in minori à corpore solido distantia: quod inde constat, quia (Tab. I. Fig. 4.) quando cultrum unum aliud antecedit, radiique ab anteriori repulsi, per

Tab. I.  
Fig. 4.

posteriorius possunt intercipi, ita res se habet: fimbriæ coloratæ, quæ hinc inde apparent, ubi inflexa Lux est, quando cultrum mobile alteri sensim admovetur, evanescunt; sed interiores prius, post etiam abeunt exteriores, ita ut primo è conspectu avolent fimbriæ in O, posteà in E, tandem in A. Certum est autem, radios primùm intercipi debere plus distantes à cultro anteriori: ergo radii plus distantes à cultro anteriori fimbriam efficiunt interiorem O, proximiores verò cultro anteriori fimbriam exteriorem A: ergo radii proximiores validius repelluntur, quam remoti.

42 Quare, cùm corpus illuminatur, tria evenire possunt: radiorum enim pars attrahitur, atque in corpore imbibitur & refrangitur, quod ideo illuminatur & incalescit; aliquando verò pars quæ attrahitur, inflebitur, transeundo juxta corpus, quin illud contingat; sed pars altera rejicitur ante contactum, illaque reflectitur.

Quæ verò ratio, sive physica hujus attractionis ac repulsionis causa sit, latet penitus: Leges verò, quas experimentis compertas habemus, ejusmodi sunt, ut negari non possint ab iis, qui cerebrum habeant: igitur hujusmodi Leges tradamus oportet, causâ earum prætermissâ.

## §. IV.

*De refractione Lucis.*

**R**etringi Lucem dicimus, cùm radius declinat à linea recta, quam insistebat corpus pellucidum penetrando, nempè, cùm aquam vel vitri superficiem ingreditur oblique. Itaque sit

## LEX I. REFRACTIONIS.

43 *Cùm radius perpendiculariter transfit per superficiem dividentem corpora diversæ densitatis, non refringitur.*

Nam (Tab. I. Fig. 5.) si radius incidat in vitrum per Lineam A O, rectâ viâ progrereditur, siquidem quando ad illud accedit, æque attrahitur à particulis in E & in I : ergo rectâ viâ perget : similiter in egressu contingit.

Tab. I.  
Fig. 5.

## LEX II.

44 *Radius Lucis oblique transeundo per superficiem dividentem media diversæ densitatis, refringitur, viam inflectendo versus medium densius.*

Nempè (Tab. I. Fig. 6.) si radius Lucis ingrediatur vitrum per lineam A m, versus vitrum refringitur, nec per lineam

Tab. I.  
Fig. 6.

re-

rectam progreditur A m o, sed per lineam A m E; itemque dum à vitro egreditur, non per lineam rectam progreditur m E I, sed per angulosam m E R.

Legis ratio hæc est, quia dum radius vitrum ingreditur, plūs attrahitur à vitro versùs m, quām versùs n: ergo à linea recta declinabit, plūs ad vitrum tendendo: similiter dum egreditur per lineam m E I, plūs attrahitur à vitro versùs E, quām versùs S, ideoque iterum inclinat ad vitrum.

45 Cæterū Lex hæc ad hunc modum plerumque indicari solet: *in ingressu obliquo medii densioris, radius Lucis refringitur accedendo ad perpendicularē; in egressu vero medii densioris refringitur recedendo à perpendiculari;* quia (Tab. I. Fig. 7.) radius A E ingrediens vitrum accedit ad perpendicularē E G; dum vero egreditur à vitro, radius I O, recedit à perpendiculari I. P.

Verū ut hoc magis pateat, sit (Tab. I. Fig. 8.) spatium attractionis in vitro sensibile, atque respondeat hinc indē lineis p q, g b; quando radius A ingreditur spatium attractionis in E, extemplo attrahitur à vitro, viamque mutat, & quanto magis progreditur, tanto magis attrahitur; ita ut, quando vitrum contingit, tum lineam in-

sistit à præcedente diversam, secundùm quam penetrat vitrum. Dum verò à vitro egreditur, ac per attractionis spatiū pertransit, iterum attrahitur à vitro, & incurvescit viam inflectendo in I, idcircoque progradientur per I O.

46 Quamquām verò Lex hæc majorem minoremve corporis pellucidi densitatē sequatur generatim loquendo, aliqua tamen sunt, licet rarissima, quæ hac communi Lege excipiuntur, ubi refractio Lucis majorem minoremve densitatē non sequitur. Enim verò contingere potest, ut vis attractionis aliquā de causa nobis ignotā non sequatur densitatē: ut igitur strictius loquamur, refractio attrahentem vim sequitur. Sed quasdam jam propositiones persequamur, quæ ex prædicta Lege proficiuntur.

### PROPOSITIO I.

47 Lentes convexæ radios congregant in unum.

Nam (Tab. I. Fig. 9.) radius, qui transit per centrum Lentis, rectâ viâ procedit, quia æqualiter attrahitur hinc indè tam in ingressu, quam in egressu ex Lente; siveque ab A, pervenit in O rectâ viâ: radii verò, qui sunt ad latera B, C in ingressu

Tab. I.  
Fig. 9.

su Lentis convexæ obliqui sunt comparatè ad Lentis superficiem: ergo fortius à parte interiori attrahuntur, ac incurvabuntur versùs axem, seu radium perpendicularē: itemque in egressu angulos efficiunt inæquales, ac fortius hinc attrahentur, quām illīc: quocircà iterū refringuntur versùs axem: conjunguntur ergo in O, quod punctum *focus* vocatur.

## COROLLARIUM I.

48 *Hinc quò major fuerit convexitas, eo major erit refractio, breviorque focus.*

Hoc patet, quia tunc major erit obliquitas radiorum, ac unius lateris attractio præ attractione alterius; si verò augetur refractio, citius coadunantur in foco: ergo aucta convexitate minuitur focus, id est, distantia puncti O, in quo radii congregantur.

## COROLLARIUM II.

49 *Lentes hinc inde convexæ minorem habent focus, quam Lentes plano convexæ, si alioquin convexitas est æqualis.*

## COROLLARIUM III.

50 *Sphæra vitrea minimum habet focus.*

*Maximam enim convexitatem habet ita-*

itaque quod minor fuerit sphæra, erit etiam focus minor, propterea quod cæteris paribus convexitas major est: igitur focus sphæræ vitreæ valet  $\frac{1}{4}$  diametri illius.

#### COROLLARIUM IV.

51 *Lentes convexæ eadem ratione, quæ radios parallelos congregant in foco, si divergentes acceperint à foco egressos, eos reddent parallelos.*

Itaque si corpus Luminosum fuerit in foco O (Tab. I. Fig. 9.) radii eodem modo refringentur in Lente, ac per lineas parallelas pervenient ad A B C; ac si radii Luminosi essent paralleli, & per refractionem devenirent in O.

52 Focus autem cuiusque Lentis duabus modis cognoscitur: primùm si in Solem proferatur (cujus radii putantur paralleli) atque observetur distantia, in qua Solis imago per conjunctos radios effecta minima fuerit: item alio modo, si Lens flammatæ offertur, è qua radii egrediuntur divergentes veluti à foco, & observetur, quæ sit distantia Lentis à flamma, in qua radios transmittit parallelos: tunc enim distantia ipsa, vel à minima Solis imagine est distantia foci.

Tab. I.  
Fig. 9.

PRO-

PROPOSITIO II.

*53 Lentes concavæ dispergunt radios parallelos.*

Tab. I.  
Fig. 10.

Nam radius, qui transit per centrum, rectâ viâ prògreditur, & sequitur lineam AB (Tab. I. Fig. 10.) quia hinc indè æqualliter attrahitur tam in ingressu, quam in egressu; radii verò à lateribus constituti angulos efficiunt cum Lente in æquales, & à parte exteriori Lentis validius attrahuntur; ac proindè à radio centrali recedunt: ergo dispergentur.

COROLLARIUM I.

*54 Lentes utrinque concavæ radios fortius dispergunt, quam Lentes plano-concavæ.*

COROLLARIUM II.

*55 Qud majus est cavum, tanto fortius radii disperguntur.*

COROLLARIUM III.

*56 In Lente concava nullus est focus.*

COROLLARIUM IV.

*57 Lentes concavo-convexæ, quod ad radios Luminis attinet, tanquam vitra plati-*

*plana sunt considerandæ (Tab. I. Fig. 8.) Tab. I.  
si cavum & convexitas æqualia sint. Fig. 8.*

Quia in ingressu refractio, vi cuius con-  
junguntur radii, æqualis est refractioni in  
egressu vi cuius radii disperguntur: ergo  
si Lentem ingrediuntur paralleli, paralleli  
egredientur ab ea.

## COROLLARIUM V.

58 Lentes Polyoptræ, id est, quæ mul-  
tiplici superficie plana variè inclinata con-  
stant, radios quoque conjungunt in foco  
(Tab. I. Fig. 11.) sicut convexæ.

In eo autem differunt, quod in illis fo-  
cus æqualis est variis, quibus constant, fa-  
ciebus, nec refractio fit augendo obliquita-  
tem radiorum paulatim, sed veluti per sal-  
tus in transitu ab una ad aliam faciem.

Tab. I.  
Fig. 11.

## CAPUT II.

*De Catoptrica.*

## §. I.

*Leges Reflexionis Lucis.*

59 **R**eflexio Lucis alia est *ordinata*,  
*inordinata* alia: in reflexione  
ordinata radii reflectuntur, qui  
turbentur; sed eundem inter se ordinem fer-  
vant.

vant. At verò in reflexione inordinata , quæ fit in superficie scabra ac notabiliter inæquali , radii reflectuntur , & quoquo versùs disperguntur , nullo servato ordine.

### Unica Lex Reflexionis.

60 *Radii Luminis in reflexione à superficie lævigata angulum semper servant æqualem angulo incidentiæ.*

Hoc indubitatis experimentis constat : etenim quomodocumque radiorum incidentia super speculum varietur , angulus reflexionis semper invenitur perfectissimè æqualis angulo incidentiæ : ergo ejusmodi æqualitas tanquam Lex constans habenda est. Nunc ad propositiones , quæ ex hac fluunt Lege.

### PROPOSITIO I.

61 *Specula plana radios , quos parallelos accipiunt , rejiciunt item parallelos.*

Tab. 1. Sit speculum planum (Tab. 1. Fig. 10.)  
 Fig. 10. in quo radii incident paralleli A , B , C , hi regredientur ad locum *a b c* eamdem inter se distantiam servantes , quam in incidentia tenuere , namque si convergentes fierent , aut divergentes , angulos efficerent in reflectendo inæquales illis , quos incidentiæ do

do efformarunt; quod prædicta Lege cautum est.

## PROPOSITIO II.

62 *Specula concava radios, quos parallelos accipiunt, rejiciunt convergentes.*

Sit speculum concavum (Tab. I. Fig. Tab. I. 11.) in quo paralleli incident radii A, B, C; radius centralis B cum angulos hinc indè eæquales efficiat in incidentia, viâ regreditur eadem; radii verò A & C propter inclinationem superficiei angulos efficiunt hinc indè inæquales, & in reflexione radius A pervenit in a, C verò in c; sicque conjungentur in foco: ergo, &c.

## COROLLARIUM I.

63 Hinc speculis concavis suus est focus, sicut Lentibus convexis.

## COROLLARIUM II.

64 Hinc, quod concavum in ejusmodi speculis majus est, et focus minor; quia quod magis radiorum convergentia augetur, et conjunguntur citius.

## COROLLARIUM III.

65 Hinc, quando radii divergentes à foco egressi incident in speculum concavum,

N ii post

*post reflexionem regrediuntur paralleli : nam eadem viâ ac ratione, quâ incidentes paralleli coadunantur in foco , quando sunt à foco egressi regredientur paralleli.*

## COROLLARIUM IV.

66 Hinc , (quod superiùs monere me memini ) duobus modis pervestigari potest focus speculi concavi ; primò , si speculum proferatur in solem , ac distantia examineatur , ubi minima reperiatur solis imago : secundo modo , si fixum collocetur speculum , & candela vel removeatur , vel ei applicetur , donec radii reflexi imaginem speculo reddant omnino æqualem : tunc enim regredientur paralleli , & candela in foco credenda est.

67 Sed ne hoc promiscuè accipiatur , illud duximus animadvertendum , quòd si cavum speculi sphæricum sit , aut sphæræ portio , ut ferè semper contingit , non inventetur omnium radiorum focus in eadem à speculo distantia , sed exteriores radii A

Tab. I. E ( Tab. I. Fig. 12.) conjungentur in o ;  
 Fig. 12. interiores verò B , D , longius à speculo congregabuntur in m ; ità ut quælibet linea circularis à centro speculi in gyrum ducta peculiarem focum efficiat , etsi non multum inter se dissent , & Lux reflexa eam reddet speciem , quām exhibet figura ; quæ quidem  
 con-

conspicietur, si vas quoddam nitidum, idemque opacum fluidum album continens in solem aut fenestram exponatur; apparet enim in fluidi superficie Lux reflexa e modo, quo in figura repræsentatur.

## PROPOSITIO III.

68 *Specula convexa dispergunt radios.*

Nam radius centralis eadem viâ regreditur, qui verò à lateribus constituuntur minorem angulum efficiunt in incidentia à parte interiori, quam ab exteriori: ergo ex prædicta Lege minorem efficient in reflexione angulum à parte exteriori, quam antea: idcirco quoquaversùs dispergentur.

69 Confirmatur: quia si Sphæra vitrea in Solem proferatur, quocumque ex loco conspiciatur, radii Luminis reflexi excipiuntur, & aliqua pars sphæræ veluti Sol fulget: ergo radii in omnem partem rejiciuntur.

## §. II.

*De Causa Reflexionis.*

**A**D Reflexionis causam quod attinet, hæc ex physicis quæstionibus una est, quæ pertinacissimas Philosophorum inter ipsos excitavit lites, qua de re jam nostram sententiam aperiemus. Sit igitur

PR Q.

## PROPOSITIO I.

70 *Causa reflexionis non est impactio particularum Lucis in particulæ solidas corporis reflectentis Lucem.*

Probatur 1.<sup>o</sup>, quia nulla existit superficies perfectè lœvigata ac polita, referendo ad particulæ Lucis: ergo si illuc lux impingeret, reflexio non esset ordinata: antecedens constat, quia nulla superficies potest lœvigari, nisi exhibito aliqujus pulveris attritu, cuius particulæ radendo superficiem corporis, ut notabiles auferant prominentias, eam redundunt sulcatam: hujusmodi autem sulcus sunt pro ratione diametri globuli radentis; cum autem hujusmodi diameter sit incredibiliter maior particulâ Lucis, hinc sit, ut sensibiles sint hujusmodi sulcus referendo ad particulæ Lucis: quod si corpus ope ferri, vel per politi lapidis poliatur, idem instauratur argumentum, cum superficies lapidis aut ferri non sit perfectè lœvigata, sed, quod ad Lucem attinet, notabiliter aspera, ideoque similes efficiet in corpore polito sulcus.

71 Neque in ea sum opinione, in qua Cl. Noletus, qui putat hujusmodi sulcus particulæ repleri Lucis stagnantis, super quas aliæ incidentes reflectuntur; idem enim

tunc eveniret, ac si plurimi globi ciburnei super capsulam similibus aliis repletam projicerentur; eorum enim nullus ordinatam servaret reflexionem, sed omnes dispergerentur ob inaequalem incidentiam in convexas subjacentium globulorum superficies.

72 Probatur 2.<sup>o</sup>, quia, cum Lux oblique transit à vitro, vel aqua in aerem, reflectitur, & quandoque ita complecta est reflexio, ut nihil Lucis egrediatur, sicut apparet in figuris 14 & 15: radius enim A Tab. 2. O, cùm ultimam superficiem contingit vi- Fig. 14, tri vel aquæ, regreditur, nec ad aerem 15. pertransit: sed hoc modo non potest reflecti ob impactionem ullam particularum Lucis: ergo hæc impactione non est causa reflexionis.

73 Nam 1.<sup>o</sup> particulæ Lucis reflecti non possunt per id, quod in particulas aeris impingant; quæ sunt rariores particulis vitri in ratione 2.096 ad 1: ergo Lux à vitro egrediens in aerem, liberiorem transitum inventiet, nec tantum poterit obscurum inventire, ut nullus transire possit radius.

74 2.<sup>o</sup> Quia si radii inclinatio varietur, magna illius pars egredietur, dum alia reflectitur: ab eo enim pendet quod modò nullus radius egrediatur, si nimirum angulus sit 5, vel 6 graduum; modò plurimi transeant, si angulus sensim augeatur; subi-

tò enim magna radiorum pars egreditur, quæ imminuto paululùm angulo reflectabatur: credibile autem non est, quod exigua inclinationis differentia obstaculum mutet in particulis aeris, adeò ut modò nullus, modò plurimi transeant radii. 3.<sup>o</sup> Quia si obstaculum ponatur in particulis aquæ & vitri, eadem redit difficultas, cùm eadem sint, posita quacumque inclinatione in superficie vitri vel aquæ, interstitia; nec explicari possit, cur radius liberè per crassissimum vitrum pertransiens, obstaculum insuperabile inveniat in superficie ultima; idque obstaculum per inclinationem radii, vel ponatur, vel omnino tollatur.

75 Probatur 3.<sup>o</sup>, quia quando Lux ingreditur medium densius, plura sunt ei obstacula invenienda, quàm dum medium rarius ingreditur; nihilominus quandò ingreditur medium densius, semper penetrat; quandò intrat in rarius, non semper: ergo causa Lucem cogens ad regressum, non sunt obstacula medii, in quod intrat. Unde si obstacula Lucem cogunt ad regressum, plura inveniret in rariori medio obstacula, quàm in densiori (quod absolum est); quoniam à rariori nonnunquam tota regreditur, nunquam verò tota à densiori.

## PROPOSITIO II.

76 *Causa primæ reflexionis, seu reflexionis in prima superficie, est vis repellens, quæ inest in corpore densiori.*

Nam, positâ hac repellendi vi in corporibus quantûm ad Lucem, quæ (n.<sup>o</sup> 38.) statuta est, atque adempta, ut modò diximus (n.<sup>o</sup> 69.) facultate reflexionis ex impactione, nulla alia causa appareat, cui adscribi effectus hic possit: ergo illi adscribendus est.

77 Sed, ajunt, admissso etiam spatio repulsionis in corpore ad certam ab illo distantiam, si superficies sit inæqualis & scabra, hoc idem spatium, sive linea illud dividens ab spatio attractionis, erit tortuosa; ac propterea Lux nequit ad præscriptum reflecti, sed omnis erit reflexio inordinata; sicut contingit in superficiebus notabiliter scabris: redit igitur eadem difficultas, ac in ipsos retorquetur Newtonianos, qui eam aliis objiciunt.

78 Verum ex principiis Geometricis, ejusmodi argumento facile subjicitur responsio; nam linea circularis, ut illic possum est, quod plus à centro recedit, eò fit Tangenti proximior; ac minus, positâ eadem lineæ portione, incurvatur. Ponatur

er-

ergo in corpore lœvigate scabrities respon-  
**Tab. 2.** dens (Tab. 2. Fig. 16.) globulis *a*, *b*, *c*,  
**Fig. 16.** & unicuique globulo assignetur in circulo  
 spatium attractionis: evidens est, inæqua-  
 litatem, quæ reperitur in linea terminante  
 hæc spatio, ac scabritiem, multò esse mi-  
 norem illâ, quæ in globulis corpus consti-  
 tuentibus reperitur.

Itaque quò minor fuerit harum parti-  
 cularum diameter, servato eodem attractio-  
 nis spatio, eò erit major præ illa hujus  
 scabritiei differentia; tum quia major est ra-  
 diorum differentia in particula & in Atmos-  
 phæra attractionis, tum quia minor sumi-  
 tur portio in Linea hanc sphæram termi-  
 nante: cùm autem diameter cujusque parti-  
 culæ superficie lœvigatae sit incredibiliter  
 exigua, etiam scabrities lineæ terminantis  
 spatium attractionis erit summè exigua.

79 Præterea sphæra attractionis unius  
 globuli concurrit cum sphæra attractionis  
 sequentis globuli: duplex igitur hæc virtus  
 attrahens ad majus spatium diffunditur, va-  
 letque concava compensare, quæ inveniuntur  
 in linea terminante attractionis spatium:  
 quoties enim physica corporum duorum vir-  
 tus convenit, vel sit calor, vel odor, vel  
 quidquid aliud, ad majus spatium, quam  
 unius virtus diffunditur: virtus ergo attra-  
 hens globuli *a* cum virtute globuli *b* attra-  
 hen-

hente, in linea contactui respondentem confunditur, atque adeo ulterius ad replendum concavum i diffunditur, ac similiter in reliquis: potest ergo scabra esse corporis superficies, quin tortuosa sit linea spatium attractionis dividens ab alio repulsionis.

80 Urgent verò: Si hæc ita sunt, quæcumque superficies scabra Lucem poterit reflectere ordinatim, quod falsum: ergo falsa etiam propositio est. At nihil ista consecutio obtinet: nam si notabilis sit scabrities (Tab. 2. Fig. 17.), spatium, per quod Tab. 2. duorum globorum attractiones confunduntur, non sufficiet ad replendum concavum in E, quod inter duas eorum Atmosphæras relinquitur: quare ordinata Lucis reflexio ab exiguitate dependet prominentiarum; quæ in corpore lævigate relinquuntur. Fig. 17.

### PROPOSITIO III.

81 *Causa secundæ reflexionis, sive reflexionis in secunda superficie corporis densi, attractio est illius.*

Probatur 1.<sup>o</sup>, nam si hæc reflexio non ab ulla oritur radii Luminosi impactione in particulas aeris vel vitri, ut vidimus, oriri non potest, nisi à corporis densi attractione: istæc ergo ipsa causa est illius.

Probatur 2.<sup>o</sup>, quia (Tab. 2. Fig. 18.) Tab. 2. quan- Fig. 18.

*Tab. 2.  
Fig. 15.* quando totus à secunda superficie vitri radius reflectitur, si huic superficie vitri aqua inferius in vase admoveatur, pars radii reflexi egreditur à vitro, atque aquam penetrat; propterea quod attractio aquæ attractionis vitri minuit effectum: igitur ob hanc attractionem totus anteà reflectebatur à superficie secundâ radius.

*Tab. 2.  
Fig. 19.* Idem contingit (Tab. 2. Fig. 19.) si prisma vitreum superius admoveatur superficie aquæ vasis, quando radius inferior ingressus per lineam A O, totus reflectebatur per lineam O E; admoto enim prisme vitreo superius, radius dividitur in duos, parsque vitrum penetrat O I, pars verò O E reflectitur, sicut anteà.

*Tab. 2.  
Fig. 20.* Probatur 3.º, quia (Tab. 2. Fig. 20.) hac philosophandi vià accuratissimè explicatur, quomodo differentia inclinatio-  
nis per unum gradum ad transmittendam partem radii reflexi sufficiat, aut contrà; namque dum radius obliquè versatur per spatiū attractionis, semper incurvatur in vitrum, indè fit quod ita curvari potest, quod tangens illius parallela reddatur superficie vitri; si hoc contingat, actio vitri in radium, illum assumet, tangens enim curvæ illius nequit radium inclinare, quin vergat in illud: si verò radius egrediatur ab spatio attractionis, quin Tangens cur-

væ sit vitro parallela, elabitur ab attractione vitri, & egreditur.

Itaque si in prisme G radius A O adeò egreditur inclinatus per spatum attractionis, ut talis inflexio ejus reddatur, quæ partem curvæ parallelam vitro efficiat, quin ab spatio attractionis egrediatur, postea inflexione illius iterum introducetur in vitrum: si verò in prisme H radius A I, ita per spatum attractionis egrediatur, ut intra illud curva portionem non habeat infinitè parvam vitro parallelam, pars radii refracta egreditur: unus autem ad hoc sufficit inclinationis gradus, ac propterea etiam ut modò totus reflectatur, modò dividatur.

83 Hæc ferè sunt, quæ de hac mira Lucis proprietate traduntur, quædam verò hic desiderantur, quæ adhuc latent, vide-licet 1.<sup>o</sup>, quid est, *cur radius oblique transiens per spatum repulsionis in prima superficie partim repellatur, partim spatiū attractionis ingrediatur, ac vitrum penetret.* 2.<sup>o</sup> *cur radius per secundam superficiem egressus etiam dividatur, atque pars attrahatur per vitrum, ut reflectatur, pars projectionem sequatur, attractionisque ab spatio egrediatur.*

## C A P U T III.

*De Coloribus.*

## §. I.

*De analysi Lucis, sive de septem primogeniis coloribus.*

**P**RIMUS omnium Newton docuit colores non esse modificationem Lucis, sed partes ejus adeo immutabiles & ad naturam ejus pertinentes, ut radius quilibet Lucis septem radios coloratos in se metipso contineat. Sed quoniam ad accuratam hujus rei cognitionem, nisi praecedentibus initiis, pervenire non possumus, quædam statim in vestibulo adducere oportet, quæ lucem præferant sequentibus. Modò simpliciter monentur, postea evidenter experimentis confirmabuntur.

84 Sciendum enim 1.<sup>o</sup> radios variè coloratos variam habere refrangibilitatem; ita ut sub eadem inclinatione radius ruber minus, quam violaceus refrangitur. Colorum autem ordo, quod ad radiorum refrangibilitatem pertinet, talis est: *Ruber, Aureus, Flavus, Viridis, Cæruleus, Indicus, ac Violaceus.*

85 Adde 2.<sup>o</sup>, quod horum radiorum qui-

quilibet eundem semper constantemque colorem exhibet, dum aliis non commisceatur. (Tab. 2. Fig. 21.)

86 Tertiò quod, radius Lucis per vitrum vel aquam obliquè trajectus, ut radii coloris in eo conclusi propriâ unicuique frui possint refrangibilitate, ab circulari figura in ovatam transit. Itaque radius cylindricus, exempli gratia, trium linearum imaginem reddet coloratam, quæ ovata sit atque ad pedis spatiū pertingit. His positis, fiat experimentum hujusmodi. Introducitur in cubiculum tenebricosum radius luminis cuius diameter sit trium vel 4 linearum, & ei offertur prisma triangulare vitreum (Tab. 2. Fig. 22.) ità obliquè dispositum, ut radius in ingressu & egressu prismatis, circa illius axem, per iteratam refractionem incurvetur: radius luminis per hanc iteratam refractionem in 7 radios coloratos dispergitur, ut hi radii colorati, eò plus inter se divergentes progrediuntur, quod plus à prima distant. Super hæc propositiones diversas habemus.

Tab. 2.  
Fig. 21.

Tab. 2.  
Fig. 22.

### PROPOSITIO I.

87 Septem radii colorati existunt in radio Lucis, antequam separentur.

Hoc multiplici ratione probatur: nam

1.<sup>o</sup> si colores ibi non exsisterent, nequaquam formari possent per prisma, cùm homogeneum sit hoc, colores aut diversi: 2.<sup>o</sup> quia radii per duo prismata inversè disposita traejecti non colorantur: ergo colores à prismate

Tab. 2. non oriuntur. (Tab. 2. Fig. 23.)

Fig. 23. 88 3.<sup>o</sup> Quia si traejecti per prisma radii illicè in charta recipiantur, nullum exhibent colorem; si chartam aliquantulum removetas, fimbriæ tantum apparebunt coloratæ; postremò si charta ad majorem distantiam recedat, septem utique colores conspicientur: ergo non à prismate proficiuntur, sed efficiuntur ex separatione, quæ semper major est in majori distantia à prisme.

89 4.<sup>o</sup> Quia si in convexam Lentem septem radii colorati recipientur, post illam colores videbuntur, qui sensim conjunguntur; in foco autem albor videbitur; post focum verò, videbuntur iterum colores, sed situ inverso: ex quo ratiocinari sic licet: si in foco nulli sunt colores, cùm ibi videatur albor, nullo modo poterunt apparere post focum; cùm nulla ibi causa sit colores gignens: ergo radio Lucis, sive etiam in albore septem existunt colores.

90 5.<sup>o</sup> Quia si aliquis in Lente radius intercipiatur, quicumque ille sit, in foco albor deficit: ergo in albore, seu in Lucis radio septem insunt colores.

91 6.<sup>o</sup> Quia cùm radius (Tab. 2. Fig. 20.) A intrans in prisma H vel G refle-  
ctitur in superficie secunda, ac per tertiam  
egreditur, pervenit ad locum E vel M,  
quin coloretur, licet bis in primâ & tertiatâ  
prismatis superficie refringatur; propterea-  
quod secunda refractio sit primæ contraria,  
ideoque radius in E vel M apparet circu-  
laris: ergo non prisma causa est colorum;  
sed radiorum separatio eorum nativum ex-  
hibet colorem.

92 Sed ne adhuc hujusce rei ratio ob-  
scura dissentibus videatur, ponantur duo  
radii paralleli (Tab. 2. Fig. 24.) qui inci-  
dant in prisma; ruber perveniet in R, vi-  
laceus verò majorem ob refrangibilitatem  
perveniet in V; uterque reflectetur ad ter-  
tiam superficiem, violaceus ad O, ruber  
verò ad I: in hac autem superficie uterque  
refringetur, sed violaceus fortius refringe-  
tur in O, quam ruber in I; atque ita ra-  
dii iterum commiscebuntur, nec ullus ap-  
parebit color.

Igitur hoc modo efficiuntur colores ope  
prismatis; (Tab. 2. Fig. 25.) dum radius Tab. 2.  
obliquè per faciem prismatis ingreditur, se- Fig. 254  
perim radii colorati, qui in illo reperiun-  
tur, refringuntur inaequaliter, ita ut viola-  
ceus refractionem habeat maximam, ruber  
verò minimam: trajiciuntur ergo per pris-  
Tom. II. O ma-

matis crassitudinem, sed divergentes ob inæqualitatem refractionis. At verò dum exeunt per secundam faciem prismatis, iterum inæqualiter refringuntur, & versùs eamdem plagam; violaceus igitur dum plus reliquis refringitur, plus ab aliis separatur: ita ut post secundam refractionem major sit radiorum divergentia, donec tandem septem radii colorati invicem separentur; propriumque unusquisque exhibeat colorem, omnesque simul coloratam reddant Solis imaginem.

## COROLLARIUM I.

93. *Radius Luminis à flamma egreditus septem quoque radios coloratos continet.*

Quia si loco Solis flamma adhibetur, radiusque in tenebricosum cubiculum introducatur, similis apparebit colorata imago, licet debilior: 2.º quia si flamma, sicut oportet per prisma inspiciatur, septem in ea acutissimi colores cognoscuntur, si debita fuerit distantia: ergo, &c.

## COROLLARIUM II.

94. *Si imago Solis Lucida vel quilibet aliis circulus albus, prout oportet, inspiciatur per prisma, septem radii colorati cernentur.*

Propterea quod radii trajecti per prisma

inæqualiter refringuntur, ac separati oculos ingrediuntur, licet plerumque, ob exiguum distantiam, non bene separentur, nisi radii extremiti, nempe violaceus, qui omnium maximè refringitur, & rubeus, qui ab omnibus aliis relinquitur: cæteri vero, etiam si peculiarem viam arripiant, non nisi post magnam distantiam separantur; quilibet enim radius coloratus eandem saltem habebit diametrum, quam haberet radius Luminis, si ad eam distantiam perveniret.

Hoc ut clarius pateat, effingantur in charta septem circuli ejusdem diametri, de turque unicuique eorum peculiaris color radiorum prismatis. Dum hi septem circuli perfecte inter se coeunt, circularem Lucis radius repræsentant; si vero omnes paulatim & inæqualiter versus latus separentur, imaginem prismatis effingent fimbriatam, quia pars tantum primi circuli ac ultimi pars erunt simplices; reliqui vero circuli ita confundentur, ut acutum trajici possit nullus, quin aliqui alii trajiciantur: sed similis est ratio circularium radiorum coloratorum, qui in radio Luminis circulari includuntur: his igitur, quæ dicta sunt, convenient.

## COROLLARIUM III.

95 *Quando plurimas conjunctim res O ii di-*

*diversimodè coloratas per prisma inspici-  
mus, omnes fimbriatæ repræsentantur.*

Siquidem umbellæ singularum peripherias circundantes extremos cujusque radios recipiunt, ideoque ex altera parte rubra saltem fimbria, ex altera appetet violacea: si autem umbra est non exigua, tunc fimbria quoque cœrulea, & viridis, & flava appetent; quod minimè contingit, cùm objecta res per omnia sui similis est, caretque umbellis.

#### COROLLARIUM IV.

96 *Si circulus coloratus secundùm pri-  
migenios colores super nigrum planum pris-  
mate inspiciatur, simplicem prisma exhibe-  
bit imaginem, non fimbriatam.*

*Si color non fuerit primigenius, dum  
primate inspicitur, apparebit fimbriatus;  
quia simplices ibi commixti colores per di-  
versam refractionem separabuntur.*

#### §. II.

##### *De diversa colorum Refrangibilitate.*

**R**efrangibilitas & Reflexibilitas nota sunt & consecrata Philosophis vocabula, quorum altero significare volunt diversam se frangendi, altero diversam refle-

cten-

Etendi vim , qua singuli radii homogenei  
potiuntur. Ac ut de refrangibilitate prius  
loquamur , sit

## PROPOSITIO II.

97 *Quilibet primigenius color peculia-  
rem refrangibilitatis habet gradum.*

Probatur 1.º : radii Luminis paralleli  
per duplēm prismatis refractionem sem-  
per redduntur divergentes , imaginemque  
Solis oblongam efficiunt , in qua idem sem-  
per servatur colorum ordo : sed hoc ita non  
esset , nisi quilibet color peculiarem refran-  
gibilitatis gradum possideret : ergo , &c.  
Hoc autem ideo constat , quia nulla , nec  
in incidentiæ gradu , nec in vi refringente  
prismatis , differentia observatur : ergo tota  
refractionis differentia ex diversa radiorum  
refrangibilitate dependet.

Atque hinc est , quod , si prisma sit ho-  
rizontale , imago colorata erit verticalis ;  
si prisma sit verticalis , imago erit horizon-  
tal is : linea enim , quæ diversos refractionis  
gradus complectitur , prismati perpendicular-  
ris semper erit.

Hinc etiam fit , ut , si sursum fiat refra-  
ctio , color violaceus supremum obtineat  
locum , infimum ruber ; si verò fiat refra-  
ctio deorsum , violaceus infimum , ruber su-

pre-

prenum occupet: ergo rubeus minimam, violaceus maximam refractionem patitur.

98 Probatur 2.<sup>o</sup>: ponatur prisma horizontale (Tab. 2. Fig. 26.) cujus pictura Fig. 26, verticalis per prisma verticale transeat, tunc hæc imago in pariete apparebit inclinata: idque in tantum, ut longe major sit inter radios utriusque violaceos, quam inter rubros distantia: ergo radius violaceus plus cæteris omnibus, ruber minus refringitur.

99 Probatur 3.<sup>o</sup>: quia si radius ruber Tab. 2. (Tab. 2. Fig. 27.) per foramen chartæ træ Fig. 27. jiciatur, posteaque in aliud prisma recipiatur, refringetur ad locum A: si vero prisma B aliquantulum circa axem rotetur, ut succedentes sibi alii colores incident in idem foramen chartæ, qui eadem directione recipiantur in secundo prismate P, radii refracti plus, plusque ascendent; atque si iterum primum prisma B rotetur in sensu contrario, radii colorati vicissim transmissi per foramen minorem & minorem refractionem in secundo prismate experientur, donec radius ruber perveniat ad locum A: propriam ergo ac peculiarem sibi vendicant refrangibilitatem radii colorati.

100 Probatur 4.<sup>o</sup>: Ponatur charta horizontalis ita depicta, ut dimidiam illius pars sit rubra, reliqua verò cærulea vel violacea; sit colorum divisio verticalis, char-

taque per prisma horizontale inspiciatur:  
 (Tab. 2. Fig. 28.) charta divisa semper vi-  
 debitur in duas, ita ut si sursum fiat refrac-  
 ctio, pars rubra appareat inferior, cæru-  
 lea superior: contrà si in prismate fiat deor-  
 sum refractio, cærulea inferiorem obtine-  
 bit locum.

101 Confirmatur: quia si imago pris-  
 matis horizontalis per aliud item prisma ho-  
 rizontalē inspiciatur, ea apparebit inclina-  
 ta sive sursum sive deorsum pro ratione re-  
 fractionis in secundo prismate, sic tamen  
 ut à vero loco violaceus longius absit,  
 quam color rubeus.

102 Confirmatur 2.<sup>o</sup>, quia si charta al-  
 ba in plano nigro collocetur, eaque per  
 prisma horizontale inspiciatur, apparebit  
 fimbriata; sic tamen ut fimbria rubra sit su-  
 perior (si deorsum fiat refractio) violacea  
 inferior: at contrà eveniet, si charta nigra  
 in plano albo posita simili modo inspicia-  
 tur per prisma. Ratio est, quia tunc fimi-  
 briæ coloratæ non ad chartam nigram spe-  
 ctant, sed ad extremitates plani albi.

103 Confirmatur 3.<sup>o</sup>: quia si flamma  
 per prisma horizontale observetur, summi-  
 tas ejus rubra, basis violacea apparebit, si  
 deorsum spectetur; contrà si sursum: sem-  
 per enim radii rubri flammam repræsentā-  
 bunt in loco veræ flammatæ proximiori, vio-

la-

Tab. 2. Fig. 28.

Iacei verò ob majorem refractionem in loco remotiori. Similiter, si, adhibito prisme verticali, flamma inspiciatur, unum latus rubrum, alterum parebit cæruleum vel violaceum.

Hæc omnia efficiunt, quod unicuique radio colorato propria inest ac peculiaris refrangibilitas, eaque talis, ut posita eadem obliquitate in radio Lucis, eademque medidensitate, angulus refractionis sit longè diversus; semperque in radio violaceo, quam in rubro major.

**104** Contra hæc objiciunt: Si hæc ita sunt, omnes Lentes radios reddent coloratos, quia quomodocumque radii refringantur, unusquisque peculiarem viam arripiet, atque proprium exhibebit colorem: sed hoc falsum est: ergo & illud, Sed illud aperte, quod assumitur, falsum ostenditur: nam in refractione Lentis concavæ aut convexæ radius violaceus, qui à rubro sejungitur, cum quo simul Lentem est ingressus, cum rubro alio confunditur, qui aliunde ingressus est Lentem; omnesque sic confunduntur, cum in omnibus Lentibus augeatur & minuatur radiorum obliquitas; quapropter tantum in peripheria Lentis convexæ fimbria colorata inspicitur. Hoc interest discrimin inter superficies planas, ac Lentes, quod in his obliquitas variatur & refractio, non vero in illis.

At

105 At prosequuntur : Ergo in quacumque Lente planâ inest refractio colores producens. Falluntur : in Lentibus enim planis refractio secunda fit in sensu inverso comparatè ad primam , effectumque illius destruit : in prisme autem , vel similibus angulis secunda refractio primam confirmat , & adauget.

106 Cæterùm illud notandum , quòd Lentes convexæ imaginem Solis in foco fimbriatam effingunt , si ea vel ante vel post punctum foci recipiatur : si paulò antè , fimbria rubra erit , prætere aquòd radii rubri , qui minùs refringuntur , coeant tardius : & apparent in peripheria aliqui radii à cæteris separati , nempe illi , qui per Lentis extremitates transferunt ; si verò paululum post focum imago recipiatur , ea per cæruleum colorem apparet fimbriata , eò quòd hujusmodi radii cum violaceis , qui primi omnium sunt coadunati in foco , citius incipiunt dispergi , atque ab aliis jam separentur.

107 Præterea , quum colores prismatis in Lente recipiuntur , ut in focum conjungantur , etiam Solis imago apparet fimbriata ; tunc enim plurimi sunt foci , radii namque violacei vel cærulei citius congregantur , quam rubri. Itaque ut in foco extet imago alba absque fimbriis , sic Lentem inclinare

necessæ est , ut rubri citius Lentem ingrediantur , quam violacei , ad hoc ut in eundem locum sensibilem coeant foci .

Adde quodd focus cujusque Lentis aut speculi concavi non est punctum notabile , sed circulus major aut minor , prout fuerit foci distantia : quælibet enim particula luminosa in circumferentia Solis peculiarem in distantia convenienti focum habebit : in foco ergo luminosam superficiem orbiculatam producent .

### §. III.

*De diversa colorum reflexibilitate.*

### PROPOSITIO III.

108 **R**adii coloris , in quibus major inest refrangibilitas , facilitior quoque pollent reflexibilitatem .

Nam quandoque radius cœruleus ab aliis separatus per prisma , atque per foramen intromissus incidens in aliud prisma , ut in secunda illius superficie reflectatur , totus reflectitur , etiam quando radius ruber similiter incidens haud reflectitur totus , sed partim per secundum prisma transmittitur : similiter contingit in radio viridi ; facilior enim radius cœruleus , quam viridis , isque facilior , quam

rubor reflectitur: ergo qui majori pollent refrangibilitate, facilitiori quoque reflexione gaudent.

Neque vero major haec reflexibilitas posita est in eo, quod radii colorati majorem efficiant reflexionis angulum: omnes enim radii, quando reflectuntur, angulum reflexionis efficiunt aequalem angulo incidentiae; ergo in eo tantum constituitur, quod majori facilitate polleat sese reflectendi violaceus, quam rubeus color.

109 Confirmatur 1.<sup>o</sup>, quia si nephritici ligni infusio in vase collocetur, atque ad radium Solis horizontalem proferatur, radii cærulei reflectuntur, dum transmittuntur flavi; ideo observator ex parte Solis positus infusionem videt cæruleam, quod visio fiat per radios reflexos; qui vero eandem spectant ex adverso collocati, flavam perspiciunt, propterea quod visio fiat per radios transmissos: ergo facilius est reflecti radios cæruleos, quam flavos.

110 Confirmatur 2.<sup>o</sup>, quia acerrimus naturæ investigator Haleyus dum Campanâ Urinatoriâ inclusus immersus erat in mari, manum habebat in superiori parte rubram, viridem in inferiori: ergo radii per aquam maris transmissi, ut partem manus superiori illuminarent, erant rubri; qui vero ab inferiori aquâ Campanæ sursum reflectebant

-lim

ut

ut eamdem manum illuminarent, virides erant: ac propterea facilius virides reflectunt radii, quando rubri transmittuntur: itaque diversa existit in coloribus ad reflexionem dispositio.

Quidquid verò hujusmodi experimento constituitur, non eò usque procedit, ut necesse sit fateri omnes radios virides reflectere, aut omnes rubros transmitti, sed id fieri sufficit majori ex parte.

III Tandem non prætermittam hoc loco eorum conjecturam commemorare, qui putant, radios rubri coloris forsan ex majoribus particulis componi, quam violacei aut cœrulei; atque id in causa esse, cur faciliter violacei ab ea, quam insistebant, linearē deturbentur, tum in refractione, tum in reflexione. Sed hoc meram conjecturam puta, non ratum quidquam ac fixum.

#### §. IV.

#### *De immutabile colorum.*

#### PROPOSITIO IV.

112 **R**adii colorum simplicium sunt immutabiles.

Probatur 1.<sup>o</sup>, nam si quilibet radius separatus per prisma, ac per foramen transmis-

missus incidat in secundum prisma , quo-  
modocumque refringatur aut reflectatur ,  
eundem , quem antea , colorem exhibebit :  
2.° Quia etiamsi per diversi coloris vitrum  
transmittatur , proprium haud mutabit co-  
lorem . 3.° Quia etiamsi in pannos diverse  
coloratos recipiatur , eundem ubique exhi-  
bebit colorem primigenium : ergo colores  
sunt immutabiles .

4.° Quia si colores separati per prisma ,  
per Lentem iterum commisceantur in foco ,  
ii quidem ibi non destruentur , sed unusquisque  
suam servabit naturam , quod patebit ,  
si ultra focum recipientur in charta , tunc  
enim , quin nova causa adsit , conspicuntur  
colores : ergo nullā ratione effici potest , ut  
radii colorati colorem suum mutant .

113 Objicit non nemo : In adamanti-  
bus , in crystallis polyedricis , in vasibus  
vitreis aquā repletis , in collo Columbæ ,  
& caudā Pavonis colores mutantur , quo-  
ties oculorum situs mutatur : ergo colores  
non sunt immutabiles . At ejusmodi rationi  
occurritur facile ; nam in illis aliisque si-  
milibus exemplis colores utique permanen-  
tes sunt atque immutabiles ; sed propter re-  
fractionem vel reflexionem unusquisque ra-  
dius ad peculiarem locum pervenit ; itaque  
dum oculus mutat situm , modò radios ac-  
cipit cœruleos , modò flavos , modò virides

aut

aut rubros: si autem nulla fiat mutatio neque in corpore luminoso, neque in oculo, neque in corporibus Lucem refringentibus aut reflectentibus, nulla in coloribus fiet mutatio.

**114** Opponunt etiam: Plurima sunt corpora, quorum color immutatur, ut patet in capillis, in foliis arborum, & aliis penè innumerabilibus corporibus: ergo colores non sunt immutabiles. Respondere par erit, hujusmodi immutationes non à radiis colorum proficiunt, sed à corporibus, quorum & natura & superficies adeò immutatur, ut hos modò absorbeat, & reliquos emittat radios, modò contrà.

### §. V.

#### *De corporibus coloratis.*

**115** **Q**UONIAM de radiis hactenus, nunc de coloratis corporibus videtur esse dicendum. Tria igitur eveniunt, dum corpus illuminatur: nam radiorum quidam in particulis corporum absorbentur, atque ideo ea incalescunt; quidam verò rejiciuntur, & quoquo versùs remittuntur, quo fit, ut ea sint visibilia, ac denique quando corpus, in quod Lux illabitur, est pellucidum, quidam radii transmittuntur,

tur , ac idcirco corpora posteriora illuminantur : ergo prout tria hæc in diversis corporibus variant , ita erit eorum diversitas . Quare sit

## PROPOSITIO I.

116 *Diversus , qui in corporibus existat , color , ab eo provenit , quod in iis radii ejus coloris rejiciantur , cæteri verò absorbantur.*

Nam primum rubrum corpus si extra fenestram clausam ponatur , exiguo tantum foramine aperto , rubram depinget imaginem in adverso tenebricosi cubiculi pariete : similiter continget in quocumque alio corpore colorato . Omnia enim peculiarem imaginem suam similiter coloratam effingent in pariete , respondentibus in locis : ergo corpora colorata radios ejusdem coloris , rejiciunt ; cum hi in pariete depingantur .

Nullus autem radius diversi coloris à corporibus reflectit , nisi illi , qui in pariete depinguntur : reliqui ergo in corporibus absorbentur .

117 Deinde , quia nullum possumus corpus videre , nisi lucidi radii aliqui ab illo remittantur , ut imaginem suam in oculis nostris depingant : ergo corpora rubra radios remittunt rubros ; quando autem ali-  
quos

quos præter rubros remittunt, depicta in retinna imago non est perfectè rubra; est enim consociata radiis multiplicis coloris, atque adeò non apparet perfectus rubor: ergo corpora colorata ideo talia sunt, quia radios coloratos imbibunt omnes, præter eos, qui proprium edunt colorem.

118 Opponunt: Lentes virides aut cæruleæ hujusmodi radios remittunt & transmittunt: ergo falsò affirmatur, corpora colorata alios radios remittere, alios absorbere. Falsum consequens: nam neque verum est ejusmodi Lentes radios absorbere eosdem, quos transmittant: aliud est enim radios imbibere & absorbere intra corporis particulas, aliud eos transmittere rectâ viâ. Itaque Lentes rubræ radios imbibunt aureos, flavos, virides, cæruleos, indicos & violaceos; radios vero rubros partim transmittunt, partim ad oculos remittunt: ac similiter de reliquis Lentibus dicendum.

### PROPOSITIO II.

119 Corpora alba ita se habent, propterea quod omnium primigeniorum colorum radios à se regerunt.

Nam corpora alba si prismate spectentur, idque in ea, quæ par est, distantiâ, septem sibi succedentes exhibent colores:

ergo septem colores remittunt. Confirmatur: corpora alba æquiparantur imagini Solis, quam Lux efficit: sed ab hac imagine radii remittuntur, ut diximus, omnium colorum: ergo, &c.

120 Confirmatur iterum hoc experimentum: Dividatur circulus chartaceus per radios in segmenta septem, ita ut duo segmenta non nisi dimidiā habeant aliorum mensuram: depingatur segmentum unum colore *rubro*, aliud *flavo*, aliud *viridi*, aliud *cæruleo*, aliud tandem *violaceo*, minoribus servatis duobus, ut *aureum* atque *indicum* colorem exhibeant, & ad hanc picturam simillimi querantur colores, his quos prisma effert: agitetur hujusmodi circulus motu rotationis celerrimo circa centrum, ut sensus cujusque coloris in retina commisceantur (non aliter quam radii cujusque rotæ citissimè agitatae confunduntur in oculo cum radiorum intervallis); si hujusmodi circulus proferatur ad Solem, albus apparebit: ergo ex septem coloribus primigeniis coalescit albor.

121 Confirmatur tandem: si septem pulveris colorati portiones similes septem primigeniis coloribus commisceantur, & charta quædam hujusmodi mixtura depingatur, subcinericum exhibebit colorem; ad Solem autem exposita, eundem alborem ha-

bebit, ac alia charta alba sub umbra collocata.

Experimenti utriusque ratio hæc est: corpus rubrum, vel sū pulvis, vel tinctura sex radios Lucis absorbet, & septimum remittit; similiter reliqui omnes colorati pulveres hoc præstant: ergo septima tantum pars radiorum Luminis, qui chartam illuminant est superstes, ex qua efficiatur albor: magnâ igitur copiâ Lucis opus est ad compensandam jacturam radiorum omnium, qui absorbentur.

## PROPOSITIO III.

**122** *Corporum Nigritudo existit per id quod paucissimi cujusque coloris radii remittantur, & reliqui omnes absorbentur.*

Nam *Nigrities* perfectissima non est color, sed potius species quedam carens omni Lumine, sicut contrâ *albor* perfectissimus species est omnium radiorum *Lucis* abundantans: ergo corporum *nigror* in eo positus est, quod per pauci cujusque coloris radii remittantur. Confirmatur, quia tunc *Nigritudo* perfectior est, cum sic superficies corporis ita disponitur, ut plures radii absorbantur, aut saltem non remittantur: ergo quoties Lux reflexa minuitur, augescet *Nigritudo*.

Hinc

123 Hinc parietum foramina, fenestræ apertæ, ac similia, à quibus paucissimi radii remittuntur foras, quando foris aspi ciuntur, nigra apparent: similiter si charta alba oleo inungatur, colorem habet subob scurum in parte, in qua oleo circumlita est, si à parte Luminis aspiciatur: si verò ex ad verso aspiciatur, olei macula alborem au gescat, videlicet, quia radii transmissi plures sunt in oleo, reflexi verò pauciores.

124 Itaque ex diëtis facile sibi quisque persuadebit, ex septem primigeniis coloribus diversè inter se colligatis oriri omnes colores. At corpora quædam, quæ diversos à primigeniis ostendunt colores, ita sunt composita, ut particulæ quædam rubros radios v. g. rejiciant, quædam autem virtudes, ut ex horum colorum mixtura mixtus color oriatur.

#### §. VI.

### *De Corporibus Pellucidis.*

125 **D**iu multumque Philosophorum opinio invaluit, qui corporum pelluciditatem in eo positam existimabant, quod eorum meatus, seu vacuola essent ad lineas rectas disposita. Ita Aristoteles, omnes que post illum usque ad Newtoni ætatem.

Verum hanc sententiam emendavit vir ille acutissimus, cuius est haec, quam sectamur

## PROPOSITIO

126 *Corpora pellucida ideo taliæ sunt, quia eorum particulæ, eandem vim habent refringentem.*

Atque quod magis fuerit haec vis homogenea, tanto major erit eorum perspicuitas.

Hujus propositionis probatio ab experimentis maximè repetenda est.

## EXPERIMENTUM I.

127 Si aqua cum oleo simul in vase infundatur, quandiu oleum aquæ supernatur, quin intimè commisceatur, perspicua conservatur, ac pictura vasis, quæ in fundo fortassè reperitur, optimè perspicitur: si vero utrumque fluidum intimè commisceantur, reddentur opaca.

## EXPERIMENTUM II.

128 Aer pellucidus est & aqua item pellucida: si ita commisceantur, ut exeant in spumam, opaca reddentur.

## EXPERIMENTUM III.

129 Vitrum pellucidum si comminuantur, ac redigatur in pulverem, opacum fiet.

Ex-

## EXPERIMENTUM IV.

130 Vapores, qui effluunt ex aqua rafactâ, atque coguntur in nubes, fiunt opaci.

## EXPERIMENTUM V.

131 Si tria vel quatuor vitra, interpositâ arenâ, scabra reddantur in superficie, ac mutuò superimponantur, fient opaca; si verò oleum terebintinæ vel oleum commune inter superficies scabras interjiciatur, pellucida redditur. Similiter charta opaca oleo delibuta pellucida efficitur. Nunc ad probationem.

132 Ex his omnibus constat, radios Luminis transmissos per diversa corpora, in quibus inæqualis insit vis refringens, semper infringi, quoties ab una particula densiori transeunt ad aliam rariorem, aut contrâ: hæ autem multiplices refractiones radios itâ dispergunt, ac debilitant, ut radius, quantum ad sensum, non pertranseat ab una ad aliam superficiem: cum verò non adest inter particulas corporis notabilis virtutis refringentis inæqualitas, radius Lucis hinc inde æqualiter attractus rectâ viâ procedet: ergo non in recta meatuum dispositione versatur corporum perspicuitas, sed in æqualitate virtutis refringentis.

Con-

133 Confirmatur: non est credendum, quum nova materia introducitur in corpus, meatus ejus antiquos melius ordinatos fieri; cum contrà novæ particulæ debeat meatus plurimos obturare: contingit autem chartam adhibito oleo pellucidam fieri; sicut vitra scabra: ergo non in meatibus rectè ordinatis posita est perspicuitas.

134 Illud tamen quisque objicit, si Lumen corpus est, nequit aliud corpus permeare nisi per meatus particularum: ergo in corporibus pellucidis Lux penetrat per hosce meatus; ac propterea in recta pororum positione perspicuitas versatur. Diluitur autem argumentum sic: aliud est penetrare Lucem per meatus, aliud per eos dirigi: ea enim non penetrat per locum occupatum à particulis corporis pellucidi, sed per meatus: per attractionis verò æqualitatem dirigitur Lux, quæ hasce particulas illuminat, ut rectâ viâ procedat, meatus illos relinquendo, qui extra viam positi sunt.

135 Hoc etiam objicient, corpora opaca, ut lignum v. g. si ad tenuissimas lamellas reducantur, pellucida efficiuntur; sed hoc non contingit, nisi quia in tenui crassitudine recta meatuum series deprehenditur, cum hæc in ampliori crassitudine alter eveniat: ergo, &c. Respondetur negando minorem; ideo enim pellucidæ sunt la-

Iamellæ , quia in exigua crassitudine non ità notabilis est refringentium virium inæqualitas , ut , sicut in ampliori crassitudine , radios Lucis omnino disturbent.

### §. VII.

#### *Observationes quædam circa Colores generatim.*

**N**E verò hæc omnis de coloribus tractatio tamquam per nebulam accipiantur , non erit supervacuum ad quædam descendere , quæ ad hanc rem pertinent , quæque observatione digna visa sunt.

#### OBSERVATIO I.

136 Corpora nigra melius lævigantur , quam quæ alio quovis colore imbuta sunt.

Nam , cùm minor est reflectio inordinata , tum ea , quæ ordinata sit , sensu sit notabilior. Itaque corpora nigra , è quibus paucissimum Lumen inordinate reflectit , quandò lævigantur , imaginem veluti specula repræsentant.

Ac ob eandem rationem cujusque coloris corpora , cùm lævigantur , colorem mutant , fiuntque obscuriora , ut videmus in argento perpolito , in marmoribus , cæterisque. Nam in his omnibus non mutatur

tur attractio aut repulsio , vi cuius varietur ratio , &c , ut ita dicam , radiorum œconomia ; sed plurimi radii , qui anteà inordinatè reflecebant , nunc ordinatè reflectunt , ac ad certum locum remittuntur : quo sit , ut pauciores radii quoquoversùs distribuantur , ut corpus sit visibile , fiatque color obscurior .

## OBSERVATIO II.

**I37** Cùm corpora per se metipsa colorem mutant , propterea id sit , quòd ad eorum superficiem de novo adveniunt particulæ , quæ anteà non erant , vel , quæ ibi aderant , deficiunt : hæ autem particulæ heterogeneæ radios Luminis diversè attrahunt vel repellunt , unde & color variatur : itaque plurima corpora decoctione colorem mutant ; alia maturitate vel Solis calore , vel alio simili modo diversam , ac anteà colorem exhibent .

## OBSERVATIO III.

**I38** In quibusdam corporibus variatur color necessariò per id quòd Lux mutetur . Quidam enim flores velut borraginis , dum ad Solis Lumen aspiciuntur , cærulei apparent , dum verò ad Lumen flaminæ , violacei . Nam , cùm remissior Lux est , radii cærulei reflexi non satis sensu percipiuntur ,

sed

sed prævalent violacei: cùm autem Lux est validior, tum cærulei sentiuntur magis.

139 Ac ob eandem causam panni virides & cærulei ad flammæ Lumen spectati confunduntur, quia radii virides cùm debiliores sunt, minùs quam cærulei fiunt ad sensum accommodati; sicut in aqua marina contingit, quæ propius spectata viridis, è longinquo cærulea apparet; radii enim virides propter distantiam languidiores fiunt, undè & organi sensus in proximum ac debiliorem colorem inclinant.

#### OBSERVATIO IV.

140 Quum ferrum dissolvitur in aqua forti subruberum colorem ostendit, sicut cuprum exhibit viridem; propterea quòd aqua fortis visibiles faciat eas particulas, quæ tractu temporis & ipsius aquæ fermentatione rubiginem præferret in ferro, aut viridem colorem in cupro fermentatione olei.

#### OBSERVATIO V.

141 Atramentum vertitur in spumam albam, similiter aqua ex sapone macerato, &c.: siquidem spuma ex quamplurimis coalescit prominentiis, seu sphærulis, quarum quælibet, cùm sit lævigata, reflexione Lucem dispergit illi similem, quæ in sphæris

vitreis reperitur; copia Lucis seu radiorum cujusque generis efficit alborem.

## OBSERVATIO VI.

142 Non est impossibile, ut particulæ coloratæ, id est, ad rejiciendum certum coloris radium propriæ, peculiarem habeant figuram in quoque genere materiæ. Sic charta rubra diversa constabit figura in superficie colorata ab ea, quæ est in charta viridi aut cœrulea. Itaque non paradoxum videbitur, quod rectè possint cæci de coloribus judicare, si tactu exquisito prædicti sint; præsertim cum experimento compertrum sit, existisse quamplurimos, qui chartis lusoriis utebantur perindè, ac si iis oculorum sensus esset acerrimus.

## OBSERVATIO VII.

143 Corpora opaca sicut & colorata unius generis radios potius rejiciunt, quam alios; sed neque eos tantummodo rejiciunt, sicut experientia constat.

Si enim imago prismatis in plana diverse colorata excipiatur, in omnibus septem percipientur colores, quod, nisi planum aliquos saltem cujusque coloris radios remitteret, nequaquam fieri posset; radii vero, qui sunt colori corporis analogi, abundantius reliquis remittuntur. Hoc autem

tem propterea fit, quod vix fieri posset, ut omnes unius corporis particulæ ejusdem generis essent: facit autem diversa particulae natura, ut non radii tantum unius generis rejiciantur. Itaque floridior exsistet color, cum major analogorum radiorum, quam aliorum copia adsit.

## C A P U T III.

*De Radiis Visualibus.*

## §. I.

*De oculorum structura.*

**144** **S**phæricam esse omnino oculorum figuram constat, quia oculus quisque in concavo suo elevatur vel deprimitur, atque musculorum ministerio absque ullâ difficultate in utrumque latus volvitur: hoc autem non nisi sphæræ convenit, quæ propter convexitatem ubique sui similem in suo loco revolvi potest. Et nos quidem cum sursùm aspicimus, non tantum pupillam, sed totum oculum attollimus.

**145** In parte tantum anteriori *a*, quæ pupillæ respondet, notabilis prominentia dignoscitur, quasi si sphæræ minoris portio super majorem sphæram collocaretur.  
(Tab. 3. Fig. 29.)

Etiam Tab. 3.  
Fig. 29.

146 Etiam multiplici membranâ oculus circumdatur ; prima , quæ exterior est , *Sclerotica* vocatur ; altera *Choroides* ; tertia , quæ & intima est , *Retina* appellatur . In parte tamen anteriori , scilicet in prominētia illa , quæ pupillæ respondet , membrana exterior appellatur *Cornea* , quæ pellucida est . Membrana autem interior , quæ huic subjacet , variis distincta coloribus , eaque circularis *Uveæ* vel *Iridis* nomen habet . Est adhuc in medio *Uveæ* foramen quoddam circulare , quod *Pupilla* dicitur , unde radii Luminis ad interiora oculi transmittuntur , tanquam ad tenebricosum cubulum , ut in *Retina* objectarum rerum imago depingatur . Atque ut talis oculi descriptio clarius percipiatur . ( Tab. 3. Fig. 30. )

Tab. 3. Fig. 30. *m m* est *Cornea* , *v v* *Uvea* , *o pupilla* : in hac figura repræsentatur sectio geometrica oculi à Pupilla usque ad fundum oculi ; in Tab. 3. figura autem ( Tab. 3. Fig. 29. ) facies oculi Fig. 29. li depingitur .

147 Proximè post Pupillam *Crystallinum* situm est . Hoc Lens quædam est hinc indè convexa , sed ejusmodi , ut interior convexitas excedat exteriorem , ut videre est in c c Fig. 30. : in hoc autem ibi positum est *Crystallinum* , ut ad focum ingressos per Pupillam radios reducat , quemadmodum Lens convexa in focum radios con-

gre-

gregat, qui per fenestræ foramen ingreduntur. In spatio inter *Corneam* & *Crystallinum* interjecto humor est *Aqueus*; in spatio verò, quod à *Crystallino* procedit usque ad fundum oculi humor jacet, qui appellatur *Vitreus*: uterque pellucidus est.

*Retina* verò nihil est aliud, quam contextus filamentorum nervi optici, qui quidem ad cerebrum usque ducitur; atque uterque duorum oculorum nervus invicem occurunt in via, iterumque separantur, antequam ad cerebrum perveniant.

148 *Pupilla* modò laxatur ministerio muscularum, qui veluti radii à centro ducuntur ad circumferentiam *Uveæ*; modò contrahitur & coangustatur ministerio muscularum spiraliū, qui per totam *Uveam* circumducuntur. Atque talis est ratio hujuscē structuræ, quia quandoque ob nimiam Lucis copiam offenditur *Retina*, coangustareque oportet *Pupillam*; quandoque verò, ut in locis obscuris sit, eam dilatare opus est, ut sic Luminis debilitas compensetur.

147 Ad *Crystallinum* verò quod attinet, hoc ope ligamentorum *ciliarium*, tum magis complanatur, tum in majorem excedit convexitatem, prout oportet, ut focus ejus incidat in *Retinam*: nam, cùm res objecta appropinquat, radii divergentes, qui à quolibet puncto egrediuntur, divergentiam ma-

jo-

jorem habent, & *Crystallinum* tunc majorem opus est convexitatem habeat, ne focus radiorum ultra *Retinam* protendatur.

## §. II.

*De Principiis Dioptricæ, in quibus Visionis scientia versatur.*

150 **H**æc adstrictiora quidem, ut par est, pro oculorum structura sufficient. Sed quoniam Visionis scientia in Dioptricæ principiis maximè versatur, ad hæc jam transeundum est. Igitur

151 I. *Lens convexa focum habet, ubi radii parallelī congregantur.* Focus autem absolute dictus semper intelligitur ex relatione ad radios, qui sunt parallelī.

152 II. *E quolibet puncto rei visibilis quoquaversus emittuntur radii colari, per quos punctum illud fit visibile.*

153 III. *Radii exeuntes è quolibet puncto visibili rerum objectarum, si in Pupillam recipientur, pyramidem efficiunt conicam, cuius basis est Pupilla ipsa.*

Habet autem ista pyramidis verticem & angulum in cūspide, qui eò minor est, quò altitudo pyramidis fuerit major, ut in Geometria docuimus: ergo

154 IV. *Quò major fuerit distantia rei*

*rei objectæ, sive puncti radiantis à Pupilla, eò minor erit radiorum divergentia; & contrà, quò magis ad Pupillam accesserit punctum radians, eò major erit divergentia radiorum.*

155 V. *Si punctum radians in foco Lentis collocetur, radii sient paralleli.*

Valet enim eadem ratio ad eorum refractionem eundo & redeundo; ac propterea (Tab. 3. Fig. 30.) si radii A, B, C Tab. 3. incurvant paralleli in Lentem M N, con- Fig. 30. jungentur in focum F: si verò punctum radians fuerit in F, radii refringentur, ut perveniant paralleli ad A, B, C.

156 VI. *Si punctum radians remo- veatur ab F ad O, ac magis distet à Len- te (ead. Tab. 3. Fig. 31.) radii incident in Tab. 3. Lentem minùs divergentes, ac proindè re- Fig. 31. fractio Lentis eos non reddet parallelos, sed convergentes, iisque congregabuntur in punctum P. Quare in eadem Lente M N exsistet focus in P radiorum divergentium & exeuntium ab O.*

157 Ac eadem ratione si res objecta, sive punctum radians ulterius removeatur à Lente, atque ab ea magis distet, minor erit radiis divergentia, faciliusque conjungentur, neque eorum focus erit in P, sed ad Lentem accedet. Unde si Res objecta, sive punctum radians à Lente recedat

*ultra focum parallelorum, radios emittit, qui ex altera parte Lentis alium efficiunt focum, qui focus divergentium appellatur.*

158 VIII. *Si punctum radians à Lente recedat ulterius, huic focus divergentium appropinquabit; si punctum radians versus Lentem moveatur, focus divergentium à Lente recedet: si tandem punctum radians collocetur in foco parallelorum, focus divergentium in infinitum recedet; cùm radii transmittantur paralleli.*

159 VIII. *Quod magis punctum radians ad Lentem vel oculum in debita distantia accedit, tanto vividiori colore depingitur in foco.*

Tunc enim radiorum copia major est,  
Tab. 3. cùm minus inter se distant radii (Tab. 3.  
Fig. 32. Fig. 32.) : positâ enim objectâ re in A, si  
Lens radios excipiat in distantia M N,  
abundantiori lumine perfundetur, quâm si  
ponatur in distantia P Q: ibi enim multi-  
plici radio Lens privabitur.

160 Et hactenus quidem de radiis di-  
vergentibus satis dictum, qui à quolibet  
objectæ rei punto egrediuntur: nunc verò  
reliquum est, ut viam ac directionem con-  
sideremus extremorum radiorum; eorum  
nempè, qui à rei objectæ extremitatibus  
egrediuntur. Namque à distantia, quæ est  
inter focum extremitatis unius & focum al-

te-

terius extremitatis ipsius imaginis magnitudo pendet. Igitur

161 IX. Quò magis ad Lentem vel oculum accedit res objecta , tantò imago ejus fit major (Optic. Tab. 3. Fig. 33.) Radii enim , qui egrediuntur à cuspidे sagittæ A , focum habent in *a* ; qui verò à cauda illius B exeunt , congregantur in focum *b* , magnitudo ergo imaginis *a b* , in focorum distantiâ posita est.

Ponamus ergo (Tab. 3. Fig. 34.) sagittam A B modò collocari in distantia A B , modò recedere ad distantiam M N ; cùm ea fuerit in majori distantia M N , imago ejus tantummodò erit ab *m* usque ad *n* ; si verò accedat ad Lentem , atque ponatur in distantia A B , erit imago ejus ab *a* usque ad *b* : ergo quò minor est rei objectæ distantia , eò ejus imago major est.

161 X. Omnis rei objectæ imago semper in situ inverso depingitur.

Nam radii ab extremitatibus rei objectæ exeuntes in foramine , vel in centro Lentis intersecantur , atque in cubiculo vel in oculo ultrà progrediuntur ; ità ut eorum situs sit sibi oppositus rei objectæ : ergo imago , quæ inter ipsos radios depingitur , postquam intersecantur , erit etiam in situ inverso. Hinc pictura , quæ fit in retina , fit semper in situ inverso , habitu rei objectæ ratione.

Tab. 3.  
Fig. 33.

Tab. 3.  
Fig. 34.

163 Atque id constat 1.<sup>o</sup>, quia si loco pupillæ foramen efficiatur in fenestra; si loco crystallini offeratur ad Lumen Lens utrinque convexa; si loco retinæ alba charta; si loco distantiae inter pupillam & fundum oculi, distantia foci ponatur; artificiale habebimus oculum, in quo sit pictura, sicut in naturali; sed hæc est in situ inverso: ergo eodem modo erit in oculo.

164 Constat 2.<sup>o</sup>, quia si à bove integer auferatur oculus, atque aptè ad foramen fenestræ apponatur, ita ut pupilla foras vertatur, & retina interiora cubiculi bene clausi respiciat, si posteriores membranæ magnâ curâ detrahantur, ut non dirumpatur retina, in ea observabitur pictura rerum objectarum externarum in situ inverso: ergo in hominibus etiam similis fiet pictura. Horum ratio est, quia radii, qui intersectantur, necessariò mutantur.

165 Objiciunt vulgo: Si pictura fieret in oculo in situ inverso, res objectas videremus aliter, atque reapse sunt, quod falsum est. Respondendum non perinde esse, rem videre, atque imaginem in oculo habere depictam; plurima enim ultra hanc imaginem necessaria sunt, ut visionem habeamus; sed de his postea.

166 XI. Si divergentium focus à Lente nimium distat, potest ad eam duobus mo-

modis admoveri; quia duobus itidem modis minui potest divergentia radiorum incidentium in Lentem: 1.<sup>o</sup> si punctum radians ulterius à Lente removeatur: 2.<sup>o</sup> si Lenti adiungatur alia Lens convexa, ut refractionem adjuvet ad focum necessariam.

167 Ergo si distantia crystallini à foco seu pictura major fuerit, quam ejus distantia usque ad fundum oculi, pictura erit imperfecta: ea autem perficietur, si vel objecta res externa removeatur ab oculis, vel admoveantur conspicilia, quae sint convexa. Qui autem tali oculorum vitio laborant *Presbytæ* vocantur.

168 Contra si divergentium focus nimium accedat ad Lentem, atque ante planum efficitur, poterit item duplici modo à Lente recedere, ut supra planum cadat; 1.<sup>o</sup> si punctum radians admoveatur ad Lentem, ut radiorum divergentiam augeat: 2.<sup>o</sup> si conspicilia adhibeantur concava, ut fiant radii divergentiores. Ergo ii, quibus natura ejusmodi vitium oculorum inseruit, vel ob nimiam crystalloides convexitatem, vel ob nimiam oculi diametrum, duobus possunt modis occurrere defectui picturæ, videlicet vel objectam rem oculis admovendo, vel concava adhibendo conspicilia. *Myopes* isti vocantur.

## §. III.

*De Judiciis Mentis humanæ in objectarum rerum Visione.*

169 **N**eque verò tantummodo continetur *Visio* in imagine rei objectæ depictâ in retina, neque in transmissione impressionis, sive motûs retinæ usque ad cerebrum per nervum opticum; sed *Visio* consistit in perceptione animæ excitata per ea, quæ in oculis contingunt.

170 Quo fit, ut ad Visionem tria sint necessaria; nempè rei objectæ in oculis pictura, sensatio, quam dicunt, in cerebro, atque animæ ipsius perceptio; quorum aliquod si desit, tollitur visio. Evidem si aliquid organi defectu picturam impedit, non videmus: item si retina vel nervus opticus, aut nimirum debilitetur (ut continet, statim atque nimirum Luce perstringitur) aut humore aliquo adveniente transitus ad cerebrum impediatur, etiam non videmus: si tandem ad rem non attendimus, aut prænimiria attentione mens aliò avocatur, non videmus ea, quæ, nobis præsentibus, aguntur.

171 Itaque cum aliquid videmus, multa de illo fieri solent judicia: nam primùm

judicamus, quod res objecta sit una: deinde, quod sit figurata, & figurâ quidem planâ: etiam, quod sit figurata figurâ solidâ: dein, quod sit colorata: postea, quod sit in situ recto: prætereà, quod definitam habeat magnitudinem: tum, quod in definita distantia constituta sit: cætera. Quamobrem sit

### PROPOSITIO I.

172 *De colore rei objectæ sicut & de ejus figurâ planâ judicat mens, innixa tantum in pictura retinæ.*

Namque duo hæc in pictura retinæ reperiuntur: neque alias sensus est, quo cuiusque rei color, aut figura plana percipi possint: poterit ergo mens de illis judicare innixa tantummodo in pictura retinæ.

### PROPOSITIO II.

173 *De unitate, figurâ solidâ, situ, magnitudine ac rei distantia nequit mens in sola pictura innixa judicare.*

Singula suis rationibus evincuntur: nam 1.<sup>o</sup> duplex est in duplice oculo objectæ rei imago: ergo mens nequit de unitate rei per solam picturam judicare. 2.<sup>o</sup> Pictura sit in situ inverso: ergo per illam non potest de-

si-

situ judicare. 3.<sup>o</sup> Idem homo in distantia 10 pedum in spectantis oculo depingitur per imaginem duplam illius, quæ hominem ipsum depingeret in distantia 20 pedum: igitur nequit mens eandem ei tribuere magnitudinem, ductum tantummodo picturæ sectando.

174 4.<sup>o</sup> Res objectæ in exigua distantia, & notâ itâ depinguntur, ut magnitudo eorum, & distantia respondeant in ratione inversa: quando verò magnitudo est ignota, & summa distantia, licet res in se sint diversissimæ, eandem efficient picturam: hinc, quid intersit inter distantiam Solis & Lunæ, sicut etiam, quid inter Planetarum, aut Stellarum etiam distantiam ex sola visione non distinguitur: ergo de distantia nunquam solo ductu picturæ judicare libet.

175 5.<sup>o</sup> Figura solida, sphærica v. g. non distinguitur à circulari plana, nisi ope Lucis & umbræ: hæc autem etiam in pictis tabellis inveniuntur, quæ oculorum & mentis aciem ludunt: igitur tantum pictura oculorum non sufficit, ut mens judicet, an sit res objecta verè sphærica, an plana tantum & circularis,

176 Confirmatur, quia anno 1729 quidam cæcus natus anno ætatis suæ quatuor decimo visum recepit ex industria celeberrimi Chirurgi Ciseldenii, qui visionis ob-

staculum auferri posse arte animadverterat. Hic igitur ubi Lumen recepit, res, quas videbat, tangere oculos suos putabat: ipse deinde existimabat, manum ob oculos positam, quæ magnarum ædium conspectum impeditiebat, illis majorem esse. Prætereà nesciebat corpora sphærica internoscere & circularia plana: tum de situ corporum nihil judicabat; nec, nisi exactis duobus mensibus, palpando & intuendo potuit de his aliquid judicare.

177 Igitur nec nos de hujusmodi rebus possumus aliquid judicare, nisi picturam retinæ cum sensatione tactus comparando: cùm enim eandem rem videmus, minorem picturam præbere eo tempore, quo magis distat à nobis, quàm dum propè est; tum ex picturæ magnitudine discimus de rei objectæ distantia judicare, si nota est magnitudo: prætereà attendentes cognoscimus in majori distantia Lumen esse debilius, radiosque minus divergentes: en aliud majoris distantiae signum: postquam autem semel atque iterum agnovimus signa hæc esse majoris distantiae, tunc illicò ex minori picturâ & debiliori, & per radios minus divergentes effectâ distare magis objectam rem colligimus.

178 Similiter sphæram palpando, rotundam esse cognoscimus, atque imaginem in

in oculo non per æquabilem effingi colorem observamus, sed in Luce & umbrâ diversitatem inveniri: contrà cùm corpus circulare planumque conspicitur, imaginis colorem notamus esse ubique sui similem: atque ex eo mens colligit corpus esse sphæricum, quoties ad hanc rationem umbra disponitur in pictura circulari.

179 Ac eadem etiam circa situm ratio est: palpando enim cognoscimus hominem caput habere sursum, pedes verò deorsum, cùm in oculorum pictura caput effingitur in infimo, pedes in supremo loco: atque hæc semper isto modo evenire. Hinc mente colligimus, caput hominis, quoties ejus pictura fit modo solito, in supremo esse loco, cùm id tactus afferat: quòd si aliquando ea contrario fiat modo, tum quoque mens judicat objectæ rei situm naturali ejusque usitatæ posituræ contrarium esse, hominemque habere pedes sursum; sola enim positio communi & usitatæ contraria contrariam picturæ dispositionem inducere poterat.

Neque alia est ratio judicandi de rei objectæ unitate: quām ut rectè teneamus, refert hoc priùs animo versare, quòd

Tab. 3. 180 Lineæ (Tab. 3. Fig. 35.) ductæ Fig. 35. à centro retinæ per centrum pupillæ axes optici appellantur, qui quidem, cùm res ob-

objecta attentè videtur , ad eam diriguntur ; ità ut , cùm ad oculos accedit res objecta , non perindè se habeant , ac cùm illa longius distat ; tunc enim ambo oculi ad sese invicem accedunt , è contrà invicem se junguntur , cùm res objecta recedit .

Quare ( eadem Fig. 35. ) si ad objectam rem in A axes optici dirigantur , hæc in utroque oculo depingetur in centro retinæ ; quia scilicet radii centrales per Lentes tracti viam non mutant . Fac ergo , poni aliam objectam rem in B : ea depingetur in locis *m* , *n* ; id est , in uno oculo ad dextram picturæ centralis *a* , in altero ad sinistram ejusdem .

181 Experimento autem compertum est , tum simplicem esse rem objectam , cùm utraque pictura sit in centro retinæ , vel utraque ad sinistram , aut etiam utraque ad dextram , ità ut in locis maneant sibi respondentibus . Illud quoque experimento constat , quòd nova res objecta non potest simul esse ad dextram , & ad sinistram illius , quæ centrum retinæ occupat , quin multiplex appareat : ergo .

### PROPOSITIO III.

182 *Quoties in oculis fiunt imagines in*

*in locis respondentibus, unam esse credimus objectam rem; cum verò in locis non respondentibus fiunt, multiplex appareat id, quod visum movet.*

Nam si axes optici dirigantur ad A

Fig. 35. (eadem Fig. 35.) & ipsi non mutentur, duplex apparebit res posita in B: inde, si digito globus oculi prematur versus unum latus, duplex adhuc objecta res apparebit, propterea quod tunc in locis non respondentibus pictura fiat.

183 Horum ratio manifesta est: etenim quoties experientia nos docet duo inter se esse conjuncta, cum de uno constat, de altero statim facimus judicium. Itaque per signa externa percipiuntur animi motus, quos tamen oculis non cernimus: similiter ergo si experienciâ constat, diversis picturæ locis non respondentibus diversas res objectas respondere, eò statim mens ducitur, ut per loca non respondentia picturæ judicet de rei objectæ multiplicitate.

184 Venio tandem ad magnitudinem rei objectæ, neque tamen existimandum est, nos de vera rei objectæ magnitudine posse unquam certò judicare. Etenim si ad inæquales mensuras magnitudo referatur, non convenient inter se diversorum hominum judicia eandem rem intuentium: primus quidem, dum parietem observat, ac ad amus-

sim metitur , longitudinem invenit palmo-  
rum 20 ; similiter secundus.

At verò primus ob inæqualem oculo-  
rum structuram , minorem habebit palmi  
imaginem præ illa , quæ secundo versabi-  
tur ante oculos : primus ergo parietem pu-  
tabit æquare 20 imagines parvas ; secundus  
totidem maiores : atque adeò diversa erit  
in utroque idea magnitudinis : nullo autem  
modo fieri potest , ut quis ideam formet de  
magnitudine rei , quin sit relatè ad aliud ob-  
jectum pro mensura ; & instauratur diffi-  
cultas.

#### §. IV.

*De erroribus visionis , qui inducuntur  
à Medio.*

185 **M**edium vocant Philosophi quid-  
quid inter oculum & rem ob-  
jectam intersit : quidquid igitur radios Lu-  
minis immutat ab re objecta egressos , an-  
tequam ingrediantur oculum , in errorem  
mentem inducit , vel illud sit refractio , vel  
reflexio radiorum : quod ex sequentibus ob-  
servationibus facilius percipietur.

#### OBSERVATIO I.

186 Radius oculum ingressus retinam  
eodem modo pulsat , vel ad oculum per-  
ve-

Tab. 3. veniat rectâ viâ E, B, C (Tab. 3. Fig. 36.) vel refractâ A, B, C; itaque mens per sensationem retinæ excitata, idem judicium faciet de objecta re, vel ea sit in E, radiusque sit rectus, vel in A, radiusque sit refractus: ergo omnis radiorum refractio mentem fallit.

## OBSERVATIO II.

187 Si radii egressi à puncto radiante

Tab. 3. A (Tab. 3. Fig. 37.) antequam ad oculum perveniant, divergentiam mutent, atque ità ingrediantur crystalloidem B, C, ac si egressi fuissent à puncto  $\alpha$ , eandem sensationem excitabunt in retina, eandemque in mente perceptionem, ac si verè esset in loco  $\alpha$ , quia quantum ad retinam ac mentem, eodem modo se habet radius rectus B  $m$  A, ac refractus B  $m$  A; similiter eundem effectum præstabit radius rectus C  $n$  A, ac refractus C  $n$  A.

## OBSERVATIO III.

188 Si radii egressi à puncto radiante

Tab. 3. A (Tab. 3. Fig. 38.) adhibito speculo, remittantur ad oculum, sive crystalloiden B C, retinam afficient eodem modo atque mentem excitabunt perinde ac si rectâ viâ procederent, & egrederentur à puncto  $\alpha$ .

Ergo utrocumque modo se habeant radii,

*dii*, mens credet objectam rem esse in *a*; itaque mens falletur & aberrabit circa locum, cum existimet objectam rem esse ubi verè non est: his positis,

## COROLLARIUM I.

189 *Si nummus ponatur in fundo vasis* (Tab. 3. Fig. 39.) *& oculus ità rece-* Tab. 3.  
*dat, ut os vasis impedit, quomodo vi-* Fig. 39.  
*deatur nummus; si postea infundatur aqua*  
*in vase, conspicetur nummus, mensque*  
*eum credet esse in b.*

Nam radius à nummo egressus, non pervenit rectâ viâ ad *A*, sed refringitur ad *B*, ubi est oculus; mens igitur credit hunc radium rectâ viâ fuisse egressum à *b*, ibique numnum exsistere.

## COROLLARIUM II.

190 *Remus, cum oblique aquam ingreditur, fractus appet.*

Nec sine causa, siquidem radius, qui ab extremitate inferiori egreditur, refringitur, sicut in præcedenti experimento observatum est, ac mens putat hanc extremitatem minus à superficie aquæ distare, quam reipsâ distat; quod si itâ esset, remus verè fractus existeret: eadem ratione si virga perpendiculariter aquam ingrediatur, extremitas infima non adeò profunda

ap-

apparebit, sicut vere est: minorque apparet virga, quam verè est.

## COROLLARIUM III.

191 *Lentes convexæ objectam rem adaugent.*

Quia radii extremi (Tab. 3. Fig. 40.) dum per Lentem refringuntur, sub majori angulo ingrediuntur oculum: depicta in retina imago major est, ac mens credit, exempli gratiâ, cuspidem sagittæ non esse in A, sed in a; caudam vero non in B, sed in b; quod si ita esset, sagitta exsistret major, ac perveniret ab a, usque ad b.

## COROLLARIUM IV.

Tab. 3. 192 *Lentes concavæ* (Tab. 3. Fig. 41.) Fig. 41. *rem objectam minuant.*

Etenim radii extremi, qui ab extremitatibus sagittæ egrediuntur, in Lente concava refringuntur, ac sub minori angulo ingrediuntur oculum: tum imago retinæ minor est, mensque sibi persuadet rei objectæ extremitates non esse in M N, sed in m n.

## COROLLARIUM V.

Tab. 3. 193 *Specula concava* (Tab. 3. Fig. 42.) Fig. 42. *rem objectam adaugent:* Nam radii egressi ab extremitatibus P Q, & ad oculos re-

fle-

flexi, sub majori angulo pupillam ingrediuntur: tum imago retinæ major exsistit, ac opinione mentis haud esse putantur rei objectæ extremitates in P Q, sed in p q.

## COROLLARIUM VI.

194 *In speculis valde concavis rei objectæ imago quandoque minuitur:* Nam præter focum parallelorum in a radii extremi, qui pervenient ad m n, reflectuntur (Optic. Tab. 3. Fig. 43.) ad e o, indè ad oculum sub minori angulo, ac mens credit extremitates M N esse in E O; atque adeò res objecta minuitur.

Tab. 3.  
Fig. 43.

## COROLLARIUM VII.

195 *Specula convexa imaginem minuant rei objectæ.*

Etenim (Tab. 3. Fig. 44.) radii reflexi oculum ingrediuntur sub minori angulo: minor adeò exsistit pictura: adeò menti apparent objectæ rei extremitates in a b, quarum distantia minor est longitudine rei objectæ A B.

Tab. 3.  
Fig. 44.

## COROLLARIUM VIII.

196 *Specula cylindrica, sive concavae sint, sive convexa, rei objectæ imaginem deformem reddunt, ac valde oblongam.* (Tab. 3. Fig. 45.)

Tab. 3.  
Fig. 45.

Quia

Quia latitudinem minuunt rei objectæ, non altitudinem: atque ob eandem causam deformes imagines benè figuratas reddere possunt, si nimirum earum deformitas co-hæreat cum errore speculi.

## COROLLARIUM IX.

*Tab. 3. Fig. 46. 197 Si res objecta (Tab. 3. Fig. 46.) inter oculum & speculum concavum collectur, imago illius apparebit in aere, dummodo oculus magis distet à speculo, quam focus radiorum divergentium, & ab re objecta egredientium.*

Nam si objectum fuerit in A, sive in centro concavi speculi, radii ad eundem locum revertentur, cùm perpendiculariter incident in speculum: si verò constiterit in B, sive foco parallelorum, radii regredientur paralleli: ergo si res objecta fuerit inter A & B, focus divergentium veniet inter A & oculum: conjungentur enim radii ante centrum concavi, cùm post illud à re objecta egrediantur; atque adeò radii ab objecta re egressi in C, conjungentur in D, atque indè iterum divergentes egredientur ad oculum: putabitur ergo res objecta adesse in loco D, cùm ex eo loco radii divergentes egrediantur ad oculum, perindè ac si ibi exsisteret res.

Co-

## COROLLARIUM X.

198 Eadem illa, quam modo diximus, imago referendo ad rem objectam in situ inverso apparet: siquidem radii à funiculo egressi, per quem res objecta suspenditur, conjungentur in distantia D, sed infra imaginem rei objectæ ratione obliquæ reflexionis radiorum in speculo: ergo imago invertetur. Hinc est, quod si quis semetipsum in speculo concavo intueatur, si ab eo minus distet, quam centrum sphæræ seu concavi A, augebitur imago, sed non invertetur; si verò ulterius recedat à speculo, ac plus distet, quam centrum concavi A, imaginem suam videbit inversam.

199 Eadem ratione Lentes quæque convexæ imaginem effingent in aere, eamque inversam, si res objecta magis distet à Lente, quam parallelorum focus: sed hæc imago (Optic. Tab. 4. Fig. 47.) percipi non poterit, nisi oculus in ea, quam oportet, distantiam ponatur ex altera parte rei objectæ, scilicet ut radios recipiat egressos à punctis radiantibus imaginis *a b*, quæ quidem necessariò est inversa: undè certum illud est, quod omnes imagines, quæ adhibitis Lentibus vel speculis effinguntur, sunt inverse; vel eæ fiant in aere, vel in plano recipiantur. Hoc tamen earum discrimen erit, quod

-Tom. II.

R

Tab. 4.  
Fig. 47.

si

si in plano recipiantur, undequaque videntur; si verò in aere, non videntur, nisi oculus sit ex adverso speculi, aut Lentis, ita ut imago sit inter oculum & Lentem.

## §. V.

*De Iride.*

200 **I**RIS vocatur arcus ille cœlestis diversè coloratus, qui in nubibus apparet, cùm observator consistit inter Solem, ac pluviales guttas. Artificialē quoque Iridem habemus, si inter guttas aquæ è fonte profluentes, vel quomodocunque per aerem dispersas, atque Solem, oculus collocetur: utriusque autem causa eadem est. Sed antequam ad ea veniamus, quæ ad Iridis naturam atque effectus spectant, proderit in quibusdam observandis paululum immorari.

## OBSERVATIO I.

**201** Globus vitreus, vel aquâ repletus Soli expositus effectum præstabit eundem, ac gutta pluviaæ à Sole illuminata: si observator dorsum vertat ad Solem, & globum aspiciat. (Optic. Tab. 4. Fig. 48.)

Tab. 4.  
Fig. 48;

R

R

V. 11

Ob-

## OBSERVATIO II.

202 Si observator inter Solem & globum collocetur, ita ut radius visualis cum radio solari directi ad globum angulum efficiant maiorem 40 gradibus cum minutis 17, & minorem 42 gr. min. 2, colores Iridis apparebunt, ita ut, dum globus paulatim ascendit, ostendat 1.<sup>o</sup> cœruleum colorem, deinde viridem, posteà flavum, ac deinde rubrum.

## OBSERVATIO III.

203 Si globus ita elevetur, ut radius Solaris cum radio visuali angulum efficiant supra gr. 50 cum min. 58, & infra gr. 54 cum min. 7, colores Iridis iterum exhibebit, sed inverso ordine; ita ut dum paulatim ascendit, primò rubrum, deinde flavum, tum viridem, postremò cœruleum colorem exhibeat; eo videlicet ordine, quo in secundaria Iride cernuntur colores, id est, quando supra Iridem primariam, sive arcum inferiorem, Iris appetet altera, sive arcus superior.

## OBSERVATIO IV.

204 Iris videtur nunquam, nisi cum Sol fulget à tergo, ac pluit ex adverso, non quidem in loco ubi consistit observator, sed ubi colores conspicuntur.

## OBSERVATIO V.

205 Arcus iste attollitur in ea ratione, in qua Sol deprimitur; siquidem centrum Iridis, centrum Solis, oculusque observatoris in eadem semper sunt linea.

## OBSERVATIO VI.

Tab. 4.  
Fig. 48. 206 In globis vitreis radii Solares diverso modo refringuntur, & reflectuntur, sicut in prisme; ideoque separari possunt, propriumque colorem edere (Táb. 4. Fig. 48.) Sit globus A, Sol in S, atque oculus O; radius, qui ingreditur globum A, in ingressu frangitur, in secunda superficie globi reflectitur, atque in egressu ad oculos iterum refringitur; hæc autem secunda refractio primam confirmat, sicut in prisme: colores igitur apparebunt.

## OBSERVATIO VII.

207 In superiori globo B radius per partem globi inferiorem ingreditur, & frangitur; postea semel & iterum reflectitur in ultima superficie globi, ac denique per superiorem globi partem egreditur, deorsumque refringitur: hæc autem secunda refractio primam etiam confirmat, radiisque separantur, propriumque ostendunt colorem: ergo si in guttis pluvialibus cædem refractiones fiant,

iidem constabunt colores. His positis, non fallit

## PROPOSITIO I.

208 *Colores in Iride primariâ fluunt ex duplice refractione & unicâ reflectione Lucis intra quamlibet pluviae guttam sub angulo 40 gr. usque ad 42.*

Nam colores in globis vitreis ita dispositis, ut diximus (Observ. II.) à duplice refractione Lucis oriuntur unicaque reflectione; sed singulæ guttæ pluviales sunt veluti globi vitrei sic dispositi: ergo color in guttis pluviae ex eodem venit.

## PROPOSITIO II.

209 *Colores in Iride secundariâ profluunt à duplice refractione, duplique reflexione Lucis in guttis pluvialibus. Sub angulo 50 gr. usque ad 54.*

Si similis enim ratio est in secunda Iride, ac in globis vitreis (Observ. III.) quæ quidem à duplice refractione provenit, duplique intra singulas guttas reflexione: ergo tantundem in Iride evenit. Cum his cohaerent, quæ sequuntur.

## COROLLARIUM I.

210 Hinc perspicue intelligitur, cur in Iride primariâ colores inverso ordine secundariæ contingant.

Namque in primaria, sive in globo inferiori A (eadem Fig. 48.) radii, qui ad Fig. 48. oculos pervenient, sursum refringuntur; in globo verò B superiori refringuntur deorsum: ergo colores, qui ob majorem refrangibilitatem infimum in una Iride locum obtinent, in altera obtinebunt supremum.

## COROLLARIUM II.

211 Hinc patet, cur color rubeus in Iride primariâ sit supremus, cœruleus infimus.

Etenim rubeus ob minorem refractionem nequit ad observatoris oculos pervenire, nisi globus vel gutta aliquantulum elevetur; cœruleus verò, etiamsi globus vel gutta aliquantulum descendat, majorem ob refractionem sursum in oculos intrat observatoris.

## COROLLARIUM III.

212 Hinc, hujusmodi colores circuli portiones semper efficiunt.

Nam (Tab. 4. Fig. 49.) si ponatur pyramidis conica, multaque in superficie apothemata describantur Am, An, As, At, Au,

A  $\pi$ , atque ab extremitatibus apothematum eleventur lineæ parallelæ axi pyramidis, hujusmodi lineæ eundem angulum efficient cum quolibet apothemate per circumferentiam totam: ergo tantumdem efficient radii Solares inter se paralleli, si observatoris oculus fingatur in cuspide pyramidis, sintque radii visuales veluti apothemata pyramidis conicæ, cuius basis si circulus Iridis.

### §. VI.

#### *De Telescopiis, Microscopiis, cæteris.*

213 **T**ELESCOPIUM aliud est *Dioptricum*, *Catoptricum* aliud. Primum Lentibus constat tantummodo, secundum etiam speculis. Telescopium Astronomicum duplii tantum Lente instruitur, aliâ oculari, quæ recipit oculum, aliâ, ut dicitur, objectivâ, quæ ad rem objectam spectat. Utriusque distantia est summa distantiarum utriusque Foci: ita ut si focus objectivæ sit pollicum 30, & focus ocularis sit pollicum 2, distantia inter Lentes erit pollicum 32.

Ratio hujus est, quia Lens objectiva rei objectæ imaginem effingit intra tubum in distanția pollicum 30, sive Foci ipsius: haec igitur imago efficitur ex punctis radiantibus, quæ quidem, dum radios ad

Len-

Lentem ocularem emittunt, illos reddunt parallelos, oculusque eos excipit, refringitque; ut in retinam conjungantur.

*Fig. 48.* 214 Unde in hoc Telescopio res objecta, non ut in se est, cernitur, sed ejus imago in Lentis objectivæ Foco efficta: poterat autem omitti Lens ocularis; sed tunc imago appareret in sua magnitudine: dum verò per Lentem convexam observatur, augetur: igitur objecta res propriùs apparet, quia propè sit ejus imago, atque magnitudo ejus plus minusve augebitur, prout fuerit Lentis ocularis convexitas.

215 Etiam per hoc Telescopium inversa apparet res objecta, propterea quod non eademmet res, sed imago ejus per ocularem Lentem observatur. Atque hinc etiam fit, ut quo major est focus objectivæ, tubusque longior, eo Telescopium perfectius est, utpotè quod ampliorem repræsentet imaginem. Cum enim hæc fiat per radios, qui in centro Lentis interficiantur, eo erit major, quo à Lente magis distaverit.

*Tab. 4. Fig. 50.* 216 Verum, ut objecta res in recto appareat situ, duplex adhuc Lens ocularis solet adhiberi (Tab. 4. Fig. 50.) cuius sci- licet prima ocularis E radios divergentes reddit parallelos; secunda verò ocularis I radios parallelos reddit convergentes, ac secundam effingit imaginem in n n; ter- tia

tia demùm ocularis O , dum radios excipit egressos à punctis radiantibus *m n* , eos reddit parallelos , atque oculus eos excipiendo in retinam conjungit. Itaque in communi Telescopio non observatur res objecta prout in se est , neque prima ejus imago , & inversa in *a b* , sed secunda imago recta in *m n* , quæ quidem per tertiam ocularem augetur.

217 Ad Telescopium Catoptricum quod attinet , hoc ab aliis distinguitur per id , quod imago in aere depicta non fit per Lentem , sed per speculum concavum. Telescopium autem hujusmodi duplex est , nempe aliud Newtonianum , Gregorianum aliud.

In Newtoniano ( Tab. 4. Fig. 51. ) tubus est apertus , in cuius fundo ponitur speculum concavum , cuius imago fieret in *a e* , nisi esset speculum planum *r t* obliquè dispositum , quod radios reflectendo versus latus tubi , imaginem effingit in *m n* : hæc autem imago observatur & augetur per Lentem ocularem in O collocatam : adeoque per hoc Telescopium non videtur res objecta , sed ejus imago inversa.

218 Præfertur autem Dioptricis hoc Telescopium , propterea quod rei objectæ imago Iridem non habeat , id est , fimbrias coloratas. Nam imagines , quæ per refractionem effiunguntur , nequeunt esse perfectæ , quia

Tab. 4.  
Fig. 51.

quia Focus v. g. coloris cærulei minorem  
habet distantiam, quam coloris rubri Fo-  
cus: propterea vel fimbria cærulea exsistet  
in imagine, vel rubra. Quod si per reflexio-  
nem fiat imago, cum sub eodem angulo  
omnes colores reflectantur, licet res obje-  
cta multiplici colore enitescat, omnium ra-  
diorum Foci in eadem invenientur distan-  
tia: atque adeo imago non erit fimbriata.

219 *Gregorianum* autem inter Telesco-  
pium & *Newtonianum* hoc interest, quod  
*Gregorianum* foramen habet in centro spe-

*Tab. 4.* culi concavi (*Tab. 4. Fig. 52.*) huic fo-  
*Fig. 52.* ramini tubulus cum Lente oculari adhibe-  
atur, qui quidem in *Newtoniano*, lateri ad-  
hibebatur: huic quoque alia est differentia  
in parvo speculo E, quod item concavum  
est, ut radios excipiat post primam imagi-  
nem, quam magnum speculum effinxit in  
a o, atque convergentes remittat ad fora-  
men centrale magni speculi: ibi igitur se-  
cunda imago effingitur rei objectæ, quæ  
non inversa est, & per Lentem ocularem  
observatur, atque item augetur. Quod si no-  
va Lens oularis adhibeat, magis adhuc  
imago augescet, quia radii extremi post du-  
plicem Lentem oculum sub majori angulo  
ingrediuntur, ac major fit imago retinæ.

220 Ac ut de Microscopiis jam loqua-  
mur, aliud simplex est, aliud compositum.

Mi-

*Microscopium simplex* nihil aliud est , nisi Lens convexa : hæc auget objectam rem plus minusve pro ratione anguli , sub quo radii extremiti oculum ingrediuntur : præterea ejusmodi Lentes radios nimis divergentes ab objecta re valde oculis proximâ egressos , vel potius ab illius punctis radiantibus ita refringunt , ut crystalloides eos possit in retinam conjungere , & imaginem depingere .

221 Hæc verò circa usum Microscopii simplices observare oportebit : primum , ut objecta res in distantia à Lente collocetur , quæ ipsius Foco sit æqualis ; quod quidem modo Lens radios divergentes reddet parallelos , crystalloidesque in retinam eos conjungent . Alterum est , ut objecta res valde illuminetur ad hoc , ut multitudine radiorum , evadat imago vivida , magnum licet spatium occupet .

222 Tertium , ut , quantum poterit , Lens pupillæ admoveatur ; quo radii extremiti , qui in Lente interfescantur , pupillamque ingredi debent ad effingendam rei imaginem , reverâ ingrediantur ; quod non eveniet , si Lens ab oculis recedat : tunc enim extremitates rei objectæ haud viderentur ; ibi enim (Tab. 4. Fig. 53.) radii egressi Tab. 4. ab extremitatibus rei objectæ A pupillam non Fig. 53. ingrediuntur ; ingrederentur autem , si oculus proximè ad Lentem accederet .

In-

223 Inter instrumenta physica venit &  
 Tab. 4. Microscopium Solare (Tab. 4. Fig. 54.)  
 Fig. 54. quod in hunc modum constituitur: collocatur Lens in foramine fenestræ A B, ut colligat radios Solares per speculum extra fenestram positum in Lentem remissos, ac propè Focum Lentis, lamina quædam ænea vel eburnea, quæ rem observandam aptat intra vitra pellucida in id, ut valdè illuminetur, quin comburatur; hac enim de causa non collocatur in Foco. Tunc à quolibet puncto radiante rei objectæ quamplurimi egrediuntur radii divergentes, qui per Lentem L transmissi rei objectæ imaginem depingunt in plano O; inversa autem imago hæc apparet, propterea quod radii in foramine annuli, seu, quod vocant, *Diaphragmatis* D D intersecantur. Hujusmodi Microscopium etiam simplex est.


224 Compositum autem Microscopium ideo hoc nomine vocatum est, quod multiplici constet Lente. Eæ verò hac ratione instruuntur. Ponitur res observanda in Foco Lentis objectivæ, quæ quidem valdè proxima esse debet rei objectæ, ut plurimos excipiat radios, & valdè convexa, ut excipere possit ac refringere valdè divergentes radios rei proximæ: depingitur ergo imago a b intra tubum, sicut in Telescopiis: hæc autem imago & observatur & augetur per

per Lentem ocularem , & ideo non res ob-  
jecta videtur , sed imago ejus inversa.

225 Potest autem hujusmodi imago non  
per unam tantum , sed per duplēm Len-  
tem observari. Prima enim Lens M N  
(Tab. 4. Fig. 55.) illi proxima excipit omnes Tab. 4.  
radios à punctis ejus radiantibus egressos , Fig. 55.  
atque ad secundam Lentem ocularem P Q  
transmittit , quæ sub maximo angulo ra-  
dios transmittit ad oculum , & mens cre-  
dit rei objectæ extremitates esse in x & z ;  
atque adeò sit in oculo pictura multiplici  
Lumine , multumque augetur.

226 Sunt & alia , quæ circa instrumen-  
ta , quibus radii visuales utuntur , tractari  
solent ; quæ consultò omisimus , ne ni-  
mium ex crescere harum Institutionum mo-  
les ; præsertim , cùm ex his , quæ dicta  
sunt , cætera facilè intelligantur. Quare jam  
ad alia pro parandum est.

FINIS HUJUS LIBRI III.



# LIBER IV.

## DE IGNE.

### CAPUT I.

#### *De Natura Ignis, ac Proprietatibus.*

##### §. I.

#### *De Natura Ignis.*

**Q**UAM intima Ignis natura ejusmodi sit, ut vel perspicacissimo nullius hominis ingenio potuerit attingi; nihil nobis reliquum est, quam ut exterior ejusdem natura consulenda sit. Cum autem exteriorem naturam dico, originem proprietatum intelligi volo, per quas latens illa atque abdita nobis innotescit, has autem, si diligenter attenderimus, facile assequemur, cum easdem ipsâ ratione duce experientia doceat. Quare

### PROPOSITIO I.

2. *Ignis corpus est subtilissimum.*

Nam ignis omnia corpora pervadit quam fa-

facillimè , quanquam compactissima sint , ut in metallis videmus : ergo subtilissimum corpus est. Confirmatur , quia etiam , cùm pondus in igne agnoscitur , valdè exiguum est , si ad ejus molem comparetur : est igitur subtilissimum.

3 Cùm Lucem statuimus ex particulis ignis constare , quod ibi de exiguitate particularum Lucis diximus , id quoque modò de incredibili particularum ignis , de quo nunc agimus , exiguitate intelligendum est. Quòd si summam harum particularum tenuitatem cum particularum aeris exiguitate comparare velis , poterit utcumque iniri calculus , licet quidem imperfectè , collatâ venti velocitate cum velocitate Luminis. Ventus enim velocissimus percurrit in minuto secundo pedes 32 : Lumen autem leucas 70.000 : fiat autem utriusque velocitatis quadratum ; tunc si harum particularum massæ fuerint in ratione inversâ horum quadratorum , effectus in ictu venti & Luminis erit æqualis. Si verò non idem Luminis ac venti effectus consequatur , certi sumus massam particularum Luminis minorrem esse hoc quadrato velocitatis , unde infinita pæne exiguitas colligetur.

## PROPOSITIO II.

**4** *Ignis gravis est.*

Nam, cùm adeò generalis sit Lex gravitatis materiæ in rerum natura, ut ne corpora quidem coelestia hac lege solvantur, nulla est ratio, quæ nos cogat ad hanc unicam exceptionem in igne accipiendam: ergo non caret ignis gravitate. Etenim, dum flamma sursum ascendit, quasi si sponte suâ surfum moveatur, hoc unum probat, graviorem esse aerem; sicut ex ascensione ligni, in aqua illud unum efficitur, hanc esse graviorem.

Deindè ignis quorundam corporum pondus quandoque adauget, dum calcinantur: ergo particulæ ignis ibi coacervatæ graves sunt: antecedens constat 1.<sup>o</sup> quia stannum calcinatum, immò & ad vitrum redactum ut vasa testea imbuat, augetur in pondere secundūm  $\frac{1}{2}$  et si fiat evaporatio. 2.<sup>o</sup> Quia si duæ unciae plumbi per horam & dimidium in flamma sulphuris calcinentur, pondus augetur secundūm grana  $4\frac{1}{2}$ . 3.<sup>o</sup> Quia una uncia limaturæ cupri in vase contenta & clausa, si ad tres horas calcinetur, augmentur in pondere grana 49: ignis ergo gravis est.

**5** Istud, ajunt, è contra: ponderis incrementum non particulis ignis tribuendus

est

est, sed particulis extraneis, quæ cum igne simul abripiuntur in flamma: ergo falso tribuitur igni. Respondendum verò, etsi istiusmodi incrementum quoad partem ab extraneis particulis oriatur, quoad aliam certè partem ab igne provenire: 1.<sup>o</sup>, quia D. Du-Clos radiis solaribus Regulam Martis calcinavit, eandemque reperit graviorrem: 2.<sup>o</sup>, quia diligentissimus observator Hombergius idem præsistit in Regula Antimonii; quod item tentarunt Lemery & Zumbac.

6 Ajunt etiam: Clariss. Boerhaavius expertus est, ferrum ignitum ad æquilibritatem statutum in exactissima libra, eandem adhuc æquilibritatem frigescens retinere: ergo amissio igne, non est amissum pondus. Respondendum, hoc experimento communiri potius ignis pondus, quàm amoliri. Nisi enim ignis pondus adderet ferro, non posset in æquilibrio sustineri, quando ferri moles notabiliter augetur ope caloris; ideoque dum in aere versatur, plus de suo ponde-re amittit. Certum est enim corpora omnia, dum in aere versantur, amittere de suo ponde-re pondus æqualis molis aeris: ergo dum ferrum ignescit, ac dilatatur, plus in aere amittit ponderis, quàm dum frigescit.

## PROPOSITIO III.

7 *Particulæ ignis suapte naturâ, quam citissimo aguntur motu.*

Nam quoties ignis particulæ à vinculo ac nexu solutæ , quo erant cum aliis heterogeneis illigatæ , sese in libertatem vendicarunt , statim moventur , cæterasque movent , in quas incurrrunt : tunc ergo habent ex natura sua motum. Confirmatur , quia effectus omnes ignis fiunt per motum , quem particulis inducunt , in quas agunt : motus autem iste ignis non apparet unde oriatur : igitur oriri illum ex natura ignis existimandum est.

8 Contra hæc dicunt : Nullum per semetipsum corpus movetur : si igitur corpus est ignis , ipse suapte naturâ moveri nequit. At falsum consequens ostenditur. Moveri enim corpus aliquod ex natura sua , si Philosophorum more loquamur , non perinde est , ac si per semetipsum moveatur : gravia namque ex natura sua descendunt : ex natura sua elasteria laxantur compressa ; neque hæc tamen per semetipsa moventur. Itaque cùm moveri ignem ex natura sua dicimus , hoc itâ intelligendum volumus secundum Leges ejusmodi corporibus ab Auctore Naturæ stabilitas , quomodocumque istæ Leges exequantur.

At-

Atque hinc omnia ferè ignis phænomena explicare licet : sicut enim gravia suspensa cùm primum solvuntur , deorsum mouentur , ità ignis particulæ , dum ipsæ cum aliis irretitæ inveniuntur , omnino quiescunt ; ex quo tamen ab hoc nexu liberantur , acquisitâ libertate advolant ; ac si in alia corpora incurruunt , vel motum eis communiciant , vel in eorum meatus introeunt .

## §. II.

*Quomodo ignis accedatur & extinguitur.*

9 Jam verò ex dictis patet , accendi ignem , quoties à nexu cum heterogeneis particulis liberatur : igneæ autem particulæ ab hujusmodi nexu solvuntur multipliciter .

10 Ac primùm quidem per frictionem ; contingit enim non raro , ut curruum rotæ celerrimo cursu agitatæ ignem concipient ; sicut etiam plurima lignorum genera , dum citissimè confricantur , utputa si lignei cylindri extremitas , cuius sit figura conica , in concavum conicum simile intromissa , rotationis motu agitetur ; ignem enim concipit utrumque lignum , sicut fumus , qui appetet , testatur . Cujus rei causa non est alia , nisi quod vehementi attritu nexus solvitur ,

ac igneæ particulæ ab aliarum, quibus admisæ erant, concretione, eximuntur.

11. Ità si Kunkelii phosphorus inter duas chartas confricetur, inflammatur illicò. Adeo, quod si globus vitreus motu rotationis agitetur, atque alio confricetur vitro, in omni contactu vivissimum ostendit ignem ac sulphuris odorem spargit.

12. Huc verò non pertinet, cùm conflitu silicis ignis elicitor; neque enim per attritum particulæ igneæ ab aliarum nexu solvuntur, neque, quod vulgus hominum credit, particulæ ignis è visceribus silicis excutiuntur. Fit illud certè, quia attritu, sive potius ictu silicis particulæ chalybis raduntur, & ignescunt, ac funduntur, ac fusione ipsâ in tenuissimos globulos ignitos efformatæ disperciuntur.

Hoc quidem patet, quia ejusmodi particulæ ignitæ, seu scintillæ virtuti subjiciuntur magneticæ, ac postquam frigescunt, nigri velut globuli apparent, cùm sint ferrei. Hinc est, quod in attritu & conflitu silicis & chalybis, scintillæ silicis motum sequuntur, propterea quod ab ea abripiantur, dum chalybs raditur.

13. Præterea attritu etiam ignis acceditur, cùm corpus candens valido ventu insufflatur; tunc enim, si ad exardescendum facile est, flamas concipit, quia scilicet in

in corpore ignito igneæ particulæ libertate quidem aliquâ, non omni potiuntur: dum autem ingens vis venti incessit, omnem sibi vendicant libertatem, atque suo jure agunt, ideoque abeunt in flamas. Alii vero, cum de flamma sermonem habuerimus, ostendemus quomodo etiam eadem, si flatus ingruat lenior, extinguitur.

14 Secundo modo ignis concitatur per dissolutionem; quia quocumque modo ignis particulæ, cum aliis irretitæ libertatem nanciscantur, avolabunt, atque effectus ignis præstabunt: inde fit, ut in calce vivâ, si aqua paulatim affundatur, excitatur ignis, non quidem, ut Peripatetici dicebant, per *Antiperistasm*, seu per virtutem quandam, qua calor in calce vires suas in unam colligat ad adversarii frigoris præsentiam in aqua contenti, ut contra illud pugnet; sed alio modo.

15 Siquidem dum lapides calcinantur, ea omnia fiunt, quæ ad naturam ignis maximè spectant. Primum enim aquariæ particulæ evaporantur in fumum; deinde in earum locum, ac in meatus quamplurimæ particulæ igneæ coacervantur, quæ cum lapideis, quæ supersunt particulis, sunt irretitæ. Ita cum lapides rectè calcinati frigescunt, particulæ igneæ, quæ in meatibus resident, nec ullo modo necuntur,

eva-

evaporantur, unde & calor minuitur, & ad æquilibrium, ut postea dicemus, cum vicinis corporibus statuuntur; eæ verò ignis particulæ, quæ in calce supersunt cum reliquis aliquantulùm irretitæ, nullum præstant effectum; sicut etiam ignis particulæ non sentiuntur, quæ in cera, vel in oleo resident, quandiu non inflammatur.

At verò si aqua affundatur, hæc per novos meatus intromissa calcis particulæ dissolvit, earum nexus tollitur, libertatemque nanciscuntur particulæ ignis, quæ inter lapidis particulæ detinebantur: dum autem tumultuosè egrediuntur, fervores, fumum, & fortassèflammam efficiunt: ergo per dissolutionem excitatur ignis.

16 Similiter cùm in fermentationibus chemicis ignis per misturam corporum heterogeneorum excitatur, alicujus vel amborum sit dissolutio; atque ignis particulæ in fermentatione contentæ non modo fumum, sed flammarum interim concitant. Hoc ità experitur, si tribus olei terebinthinæ partibus portio optimi sp̄iritus nitri affundatur cum portione aliâ olei vitrioli permistâ, idque non semel fiat, sed duabus tribusve sibi succendentibus injectionibus; fumosa tune exorietur evaporatio, quam sœpè flamma consequitur. Similiter si optimus sp̄iritus vini cum optimo nitri spiritu mis-

misceatur, calidissima tunc incipiet fermentatio, & quandoque flamma: de quibus vide Hoffmanum, Geofroyum, aliasque hujus notæ scriptores.

17 Eodem pertinent ea, quæ efficiuntur, cùm phosphoro Kunkelii urinoso utimur, atque notas effingimus super planum chartaceum satis asperum. Nam attritu abundantur phosphori particulæ, ac in plani concavis remanent: qui si in tenebris collocetur, notæ luminosæ conspiciuntur ad dimidiā horam & amplius; quia propter aerem particulæ ignis in phosphoro contentæ ab heterogeneis solvuntur, ac per omnes notas minutissimas veluti lampades effingunt. Ejusmodi autem lampades, sive potius flammulæ tremunt quod ad sensum, si sufflentur notæ: ergo per dissolutionem ab aere inductam excitatur ignis. Sed phosphorus iste, nisi in aqua mersus ac clausus non conservatur; alioquin fumat & evaporatur.

18 Tertius demum excitandi ignis modus est, qui fit per communicationem, nempe cùm extranei ignis particulæ corpori ad exardescendum facili admoventur, quæ compagem illius dissolvendo, vinculum tollunt ignearum particularum, quo inter se continebantur congregatae in corpore ad incendium idoneo. Verum hujusce rei exper-

rientiâ frequentior est, quâm ut longioribus circuitionibus explicanda sit.

## COROLLARIUM I.

19 Hinc patet, cur persæpè incendatur ignis per calorem nimium ante contactum flammæ, ut cùm papyrus supra summitem flammæ ad pollicis distantiam apponitur; vel cùm sulphur in vase liqueficit, sæpè enim per semetipsumflammam concipit. Similiter, cùm fumo à candela recens extinctâ emiso alia flamma admovetur; videtur enim fumus accendi usque ad candalam extinctam; quoties enim particulæ ignis abundant, ac facili nexu colligantur, facili quoque negotio solvuntur.

## COROLLARIUM II.

20 Hinc appareat, cur quidquid impedit, aut retardat ingressum particularum ignis extranei in corpus incendio idoneum, combustionem ejus impedit aut retardat; atque adeò si papyrus supra flammam collocetur, & à superiori parte suffletur, ea diu à flammis innoxia servabitur, nimirùm quia vento particulæ ignis repercutiuntur, ne penetrent papyrum: eadem ratione si globus plumbeus papyro arctissimè includatur, atque admoveatur ad flammam, plumbum funditur intra papyrum, antequâm hæc comburatur.

Co-

## COROLLARIUM III.

21 Hinc etiam patet, cur si spiritus vi-  
ni in vase inclusus ebulliat, atque vapor  
ejus per foramen duas circiter lineas latum  
egrediatur, columna vaporis, flammâ ad-  
motâ, accendatur; diuque in aere jucun-  
dissima conspicatur flamma, plus minusve  
à vase separata, prout major fuerit calor,  
aut minor. Tunc enim particulæ igneæ in  
hujusmodi vapore contentæ ab heterogeneis  
facillimè solvuntur, & flamma appetat.

## COROLLARIUM IV.

22 Hinc quoque explicatur, cur cor-  
pora quandiu madefacta sunt, admoto igne  
non incendantur. Nam aquariæ particulæ  
meatus obturando impediunt extranei ignis  
ingressum, ac actionem; quod etiam in-  
tervallo aliquo contingit ob eandem ratio-  
nem, in corporibus nimio oleo perfusis.

## COROLLARIUM V.

23 Hinc liquet, cur in foco speculi  
caustici alba difficilius corpora comburan-  
tur, quam nigra, aut alterius subobscuri  
coloris; particulæ namque igneæ in foco  
à corpore albo repercutiuntur, ne penetrent,  
à nigro recipiuntur, ac alias solvunt à vin-  
culo.

Co-

## COROLLARIUM VI.

**24** Hinc patet, cur quædam corpora aliis facilius flammâ admotâ incendantur, ut lignum, stupa, sulphur, cætera; quædam verò tantummodo ignescant, ut metallæ, vitrum, lapides, & similia: si enim adsit ignearum particularum copia, ac facili nexu sint colligatae, solutæ ab aliis erumpent tumultuatim, ac flamمام efficient; si verò non nisi difficillimè dissolvantur, in parte à nexu liberabuntur, ut luceant, comburant, ac similia efficiant, in parte intra ignitum corpus detinebuntur, ità ut tumultuarius non sit earum egressus, sicut in flamma.

**25** Ac ut jam de ignis extinctione dicamus, dupliciter hæc fieri solet: vel enim igneæ deficiunt particulæ in corpore ad exar-descendum destinato, sicut in lampadibus oleo deficiente contingit; vel particularum ignis egressus impeditur, quamquam magna earum copia abundet corpus concipiendō igni idoneum, ut cùm corporibus quibusdam inflammatis affunditur aqua. Itaque si accidat ex his duobus quidlibet, necessariò extinguitur ignis. Etenim quomodocunque tumultuarius particularum ignis impe-diatur egressus, flamma cessabit.

## COROLLARIUM I.

26 Hinc ratio apparet, cur corpora omnia inflammata, sibique relicta tandem extinguantur. Cùm enim corpora infinitum ignearum particularum numerum non habeant, ignisque succendentibus sibi invicem momentis emanatione factâ minuatur, tandem ille extinguitur.

## COROLLARIUM II.

27 Hinc explicatur, cur quòd major est flamma, eò citius evanescit, propterea quòd major ignearum particularum jactura fiat.

## COROLLARIUM III.

28 Etiam, cur acrior evadat flamma, ostenditur, cùm puriore oleo nutritur, aut cerâ valdè defæcatâ, namque heterogenearum particularum abundantia, quæ in flamma simul cum igneis avolant, eam reddunt obscuriorem, ut in fumo patet crassiori.

## COROLLARIUM IV.

29 Præterea haud obscurum est, cur flamma in corporibus, si ipsa pinguia sint, non, nisi niiniâ aquâ injectâ, extinguatur: nam aquariæ particulæ, quæ ab oleosis repelluntur, earum meatus obturare itâ non possunt, ut ignearum particularum egressum im-

impediant. Atque inde fit, quod plurima corpora inflammata aquæ resistant: sin hæc nimia sit; tunc enim cum contactum aeris impedit, principium impedit, unde ignearum particularum fit discussio: & ob rem hanc nimia cera, nimiumve oleum, cum inflammati corporis extremitatem suffocent, flamمام extinguunt.

## EXPERIMENTUM V.

30 Ac similis illius effectus ratio est, cum in clauso Recipiente aere pleno flamمام extinguatur: nam fumus illius, atque aeris elasticitas per calorem aucta contra inflammatum corpus dum agunt, ignearum particularum impediunt egressum. Quod item contingit, si à superiori parte Recipiens oblongo & aperto instruatur tubo: minuit enim tubus egressum aeris per illum, & actionem non tollit adversus flamمام: si verò aliquantulum ex una parte idem Recipiens eleverit, aeris circuitus flamمام utique conservabit.

31 Quare communis est vis aeris discussoria ad flamمام excitandam, huicque prorsus necessaria; quâ sublatâ, scintilla aut flamما in vacuo excitari nullo modo potest: nam si pyrites chalibe concutiatur frequentissimè in Recipiente, dum ibi inventur aer, scintillæ splendent; ubi verò ex-

extrahitur, nulla appareat scintilla, licet pyrites attritu frequenti comminuatur. Similiter si lignum supra ferrum candens in vacuo collocetur, comburitur ac fumat; sed scintilla aut flamma nulla ibi cernitur.

32 Patet autem effectus hujusmodi causa duplex, quarum prior ea est, quod peculiarem habeat aer vim discussoriam, ac ad protrahendam ignearum particularum libertatem necessariam: altera & huic contraria causa est, quod nempè, aere deficiente, nimiā igneae particulæ celeritate egrediantur; adeò ut exeentes haud tempus habeant dissolvendi subsequentes.

Ideò enim flamma flatu extinguitur, quia vento abripiuntur particulæ exeentes, priusquam subsequentes dissolvant: videmus enim, aquam calidam in vacuo citius, quam in aere amittere calorem. Similiter igniti carbones in vacuo illico extinguntur, atque igneae particulæ nimiā celeritate evaporantur: ergo hac etiam ratione extingueatur ignis. Atque adeò tribus modis, quibus accenditur, totidem respondent, quibus extinguitur ignis.

## §. III.

*De Flamma.*

34 **F**lammam dicunt Newtoniani fumum accensum. Est verò flamma igneus veluti fluvius, qui succendentibus sibi spatiis ex inflammato corpore egreditur, visuque percipitur, quandiu collectæ in unum igneæ particulæ, quin dissipentur, aerem possunt pervadere.

34 **T**riplex itaque pars in flamma spectatur, videlicet basis cœrulea, medium album, sive potius lucidum, atque subrubra summitas. Atque id jure quidem merito contingit: si quidem in basi nondum igneæ particulæ ab heterogeneis existunt omnino liberæ: quæ verò in cuspidem coguntur, utpotè particulis aeris, ac fumo implicatae, Lucem minuunt, ac velut ignescunt.

35 Experienciâ hoc constat; nam si supra tres candelas in unum collectas, & accensas inversum infundibulum oblongo collo instructum collocetur, flamma quidem per orificium superius egreditur, etsi tubus supereret pedem, sive pollices 12: flamma autem, quæ egreditur, rubra appet & obscura, ac angustissima, utpotè quæ cum particulis aeris intra tubum insidentibus com-

mis-

misceatur: nam quo ignis particulæ magis cum aliis heterogeneis miscentur, eò earum libertas magis minuitur, nec non motus & splendor.

36 Quoniam verò flamma constat figurâ conicâ, hujus quoque rei causa Philosophis disputari solet. Itaque ejusmodi figura, nostrâ quidem sententiâ, provenit ab acceleratione motûs particularum ignis, dum hæ in flamma ascendunt. Probatur, nam, dum aqua descendit per aera, inversam quærerit figuram pyramidalem, ità ut quod magis distat ab ore vasis, è quo egreditur, tantò fiat angustior, & hoc quidem ratione accelerationis: ergo similis erit ratio figuræ illius, quam in flamma cernimus. Antecedens constat, quia si aqua descendens eandem semper servaret latitudinem, eadem portio aquæ, quæ per pollicem descendit in 1.<sup>o</sup> tempore, & pollicis unius columnam implet, descenderet utique in 2.<sup>o</sup> tempore per 3 pollices, impleretque columnam tres pollices longam, atque ejusdem diametri; quod fieri quidem non potest: ergo ratione accelerationis minuenda est diameter columnæ aquariæ descendantis.

34 Alterum est, quod quæritur, nempe cur flamma non per totam domûs altitudinem continuetur, donec in obstaculum impingat, sicut aqua descendens ad solum us-

usque continuatur. Cui quæstioni respondeamus, igneas particulas cum aeris particulis paulatim irretiri: quamobrem in majori altitudine terminatur flamma pro minore quantitate ignearum particularum: nam si candelæ accensæ admoveatur altera, augetur flamma non in crassitudine modò, sed etiam in longitudine.

38 Accedit & aliud experimentum; nam si candela accendatur, ac circum illam spiritu vini affundatur, ac inflammetur, candelæ flamma ad omnem ascendit altitudinem, ad quam spiritu flamma ascendit; quod scilicet particulæ illius non cum aeris particulis dissipentur.

39 Contra hæc: si hæc ita essent, ac si flamma ignis esset fluens, sive igneus fluvius, nequaquam fieri posset, ut quædam ceræ vel olei portiuncula flammam tenui ferret; siquidem igneæ particulæ, quæ in flamma egrediuntur, antequam hæc accenderetur, jam in oleo continebantur. At enim non hoc existimandum erit incredibile, spætatis innumerabilibus, quæ in quolibet licet exiguo corpore continentur, particulis.

40 Argumentum autem prosequuntur isto modo: hujusmodi particulæ ferè innumerabiles, in quas corpus quodlibet quamvis exiguum dividi potest, si post divisionem iterum conjungantur, eadem ac ante di-

divisionem constabunt mole: ergo etiam igneæ particulæ, quæ ab heterogeneis, conceptâ inflammatione separantur, si in unum coalescant, non poterunt in majorem, quam ante inflammationem, molem excrescere, dum in cera vel oleo detinebantur. Respondetur, particulæ igneas, quæ conceptâ inflammatione separantur ab heterogeneis, non tam sibi arctè convenire, neque ob earum motum itâ inter se coire, ut ante inflammationem; ac propterea in multo majorem molem exire, quam quæ ceræ erat vel olei.

¶ 41. His adjiciunt: Flamma egressa à candela accensa, si cum mole ceræ comparatur, è qua egreditur, plenum occupat spatiū ceræ mole incredibiliter majus: ergo meatus inter has particulæ intersistentes conspicui erunt. Respondetur negando consequens; quia licet meatus spatiū occupent valde majus igneis particulis, non tamen idcirco percipiuntur, quia sensus igneis particulis acriter commotus intervallum earum nequit internoscere; quod quidem sensum afficeret hebetatum, etiam si in Lucis viciniis non exsisteret. Hoc ut intelligatur, ponantur flammæ inter se distantes per palmum aut pedem, itâ ut quandam lineam efficiant: si ejusmodi flammæ è remoto observentur loco, minora & minora apparebunt

intervalla, donec tandem evanescant, & linea ignita conspicietur: propterea quod percussæ in retina fibræ per radios Lucis tam acrem efficiant in cerebro commotionem, ut nequeat mens ad privationem sensus animadvertere, qui in intervallis est relictus.

42 Si particulæ, iterum inquiunt, igneæ omnes, quæ per horam v. g. flammam constituunt, in parva ceræ mole includuntur, erit illa quidem calidissima; quod falsum est: æqualiter namque cera, ac cætera omnia frigescit: immò frigore oleum facillimè coagulatur, cùm tamen immensam ignis copiam continere debeat: falsum igitur hoc dogma. Respondetur negando antecedens; quoniam non, ut calor fiat, satis est, igneas existere particulas in corpore, sed requiritur, ut aliquem habere possint motum; dum autem cum heterogeneis sunt ad unguem colligatae, nullum, etsi ibi sint, caloris sensum inducunt.

## C A P U T II.

*De Ignis effectibus.*

## §. I.

*De primo ignis effectu sive de Calore.*

## P R O P O S I T I O I.

43 **C**Alor non consistit in tremulo motu particularum corporis calidi, sicut quamplurimi sentiebant.

Probatur 1.<sup>o</sup>, nam hujusmodi tremor, causâ cessante, perseverare diu non potest; sed calor diu in corpore perseverat, postquam desit causa: ergo in hujusmodi motu calor planè omnino non consistit. Major constat; quia tremor in corpore sonoro quam brevissimè extinguitur, cessante causâ: ergo etiam in corpore calido.

44 Deinde, quia calor ab una vicissim corporis parte ad aliam progreditur, ut videmus, quando ferreæ virgæ extremitas nimis calida, aut candens immergitur in aquam; subito enim in alia extremitate frigida augescit calor, dum prima candens frigescit.

Ità dum frigido balneo utimur, caput incalescit, quia calor ab inferiori parte ad su-

T ii pre-

premam transmittitur : atque eâdem ratione sumpto potu nimis frigido calor in capite experitur , propterea quod ab stomacho calor avolat in cerebrum : sed motus tremulus ita transferri nequit : ergo in isto motu non consistit calor.

45 Præter hæc : citius in vacuo calor interit ; nulla autem ratio est , cur motus ibi citius extingui possit : ergo non in solo motu ille consistit. Major verò constat , quia si eadem calidæ aquæ portio in duas æquales deducatur , atque ex his una intra vacuum Recipiens collocetur , alia in aerem liberum proferatur , diutiùs servatur in hac calor ; illa verò , quæ posita est intra Recipiens , incipit ebullire , ac post longum fervorem , si à Recipiente auferatur , frigida ferè invenitur : ergo.

46 Verùm , ajunt , vetus hoc quidem proverbium est , motum causam esse caloris : prætereà dum limatur ferrum , aut iteratis iictibus contunditur , incalescit : in hoc autem nihil aliud ad procreandum calorem appetet idoneum , nisi tremulus particulatum corporis calidi motus : ergo in hoc motu consistit calor. At ex his omnibus efficitur , motum quandoque calorem inducere , non verò , nihil amplius præter motum desiderari , ut calor existat , quod ex sequentibus patebit.

## PROPOSITIO. II.

47 *Calor constituitur in particulis igneis, quæ insunt in corpore calido, aliquantulum agitatis.*

Nam quomodocumque hujusmodi particulae moveantur, sensum afficere possunt caloris, eumque vicinis corporibus communicare: ergo in hujusmodi particulis pondens est calor. Præterea hoc constituto, rectissimè omnia caloris phænomena explicari possunt.

48 Et primùm, cur calor, sicut diximus, ab una virgæ extremitate transeat ad aliam. Nam, cùm candens extremitas in aquam immersitur, meatus constringuntur, in iisque particulæ igneæ intromissæ expelluntur, atque per vacuolorum series ad aliam extremitatem ducuntur, ubi patent meatus. Atque similis similiū effetuum ratio est.

49 Deinde, cur aqua calida ebulliat in vacuo, breviusque frigescat, quam acri liberò exposita; siquidem particulæ igneæ, pressione aeris sublatæ, facilius evaporantur, ac singulæ singulis succedentes turmatim egrediuntur; tumultarius autem hic particularum ignis egressus, aquam ita movet ut ebulliat, atque inde fervor existit: igneis

igneis autem particulis amissis , extingui-  
tur calor.

50 Etiam , cur carbo ignitus in vacuo  
facilius , quam in aere libero extinguatur :  
ademptâ namque pressione aeris particulæ  
igneæ facilius egrediuntur , ac deperditur  
calor. Atque huic contrarius est in ferro  
ignito effectus , utpotè quod in vacuo diu-  
tius teneat calorem : nam ferrum candens  
non dissolutionem subit , quando enim fri-  
gescit nullam partem ferream amisit , quem-  
admodum in carbone ignito contingit , qui  
dum ignescit , dissolutioni subjicitur. Itaque  
carbo particulæ igneas amittit , dum dissol-  
vitur ; ferrum verò candens has tantummo-  
dò deperdit , cùm per legem æquilibrii ca-  
loris ad vicina corpora transferuntur. Dis-  
solutio igitur carbonis in vacuo promptior  
est ; communicatio verò caloris ad corpora  
vicina ferro carenti in vacuo minor est.

51 Dein , cur postquam nivem aut gla-  
ciem manibus contrectamus , nimius calor  
percipitur : frigore enim pellis constringi-  
tur , interstitia minuantur , pori obturantur ,  
ideòque particulæ igneæ , quæ continuò eva-  
porantur , egredi non possunt , atque aliis  
supervenientibus in cutem coacervantur , un-  
de & calor augescit.

52 Præterea , quomodò alimentum fri-  
gidum , aut potio per magnum quandoque  
af-

afferant stomacho calorem , sicut frequentissimus usus docet : namque particulæ igneæ cum heterogeneis perfectè colligatae , nullum caloris signum tactui subjiciunt ; eæ vero postea , dum corpus dissolvitur , nexus soluto , motum excitant in stomacho ac nimium calorem .

53 Postremò , quomodo frictione aut attritu in solidis calor , non in fluidis exercetur . Etenim particulæ solidæ , dum motui resistunt , per vim ab aliis separantur , & interim particulæ igneæ aliquam , sed non omniam acquirunt libertatem , atque calorem excitant ; in fluidis autem particulæ motui quam facillimè cedentes non solvuntur ab aliis , quibuscum simul moventur , particulæque igneæ inter ipsas latentes vincitæ perseverant .

54 Hinc multi , unde calor existit , fontes sunt ; nam sit ille 1.º per subjectionem ignis , 2.º per radios Solares , 3.º per attritum , 4.º per fermentationem vel dissolutionem . Hoc autem interest , quod calor , qui 1.º vel 2.º modo existit , per ignem extraneum excitatur , qui calefacti corporis poros pervadit : at vero qui 3.º vel 4.º modo calor excitatur , per ignem sit proprium corporis calidi . Illud vero cuiusque generis calori commune est , quod aliquis in particulis igneis motus insit , neque eæ omnino

nō sint liberae ut luceant, aut in flammam  
exeant. Etenim, à corpora calido licet ad  
vicinia egrediantur, non in unum tamen  
coeunt, sicut in flamma fieri solet. Accedit  
& illud quoque, ut calor interim, cùm ma-  
ximus est, per reflexiones in focum con-  
jungatur, & quodam modo flammam effi-  
ciat, sicut in regionibus quibusdam contin-  
git æstate fervente.

## §. II.

*De aequilibitate caloris.*

55 **P**Atet autem aequilibritatis proprie-  
tas in calore, cùm hic ab uno cor-  
pore transit ad aliud, donec in omnibus  
æquilibrium reperiatur. Huic tamen legi non  
subjiciuntur corpora illa, in quibus proprius  
inest ac nativus calor, ut sunt ignis, cor-  
pora viventia, & similia. Quare

**P R O P O S I T U M I.**

56 *In omnibus corporibus, que in pro-  
ximis locis consistunt, idem semper gra-  
dus caloris observatur, licet in quibusdam  
tardiùs vel augeatur, vel minuatur.*

Probatur, nam si thermometro lignum,  
lapides, metalla, lanam, vinum, oleum,  
aquam,

aquam , mercurium & spiritum vini , &  
alia examinemus , quæ in eadem domo in-  
clusa manent , idem apparebit in thermo-  
metro caloris gradus : igitur existit in cor-  
poribus caloris æquilibritas .

57 Confirmatur : si cylindri fiant inte-  
riùs excavati , ut teneant thermometra , at-  
que lapideus unus , alter sit ligneus , eo-  
rumque concava homogeneis operculis ob-  
turentur , eveniet , ut mutato caloris gra-  
du per id quod intromissus , aut exclusus  
sit è domo ignis , augetur minuiturve gra-  
dus in omnibus thermometris , scilicet , in  
eo , quod patet atque adhæret parieti , &  
in iis , qui intra cylindros occluduntur : er-  
go in omnibus corporibus , cuiuslibet ea  
sint naturæ , idem caloris gradus obser-  
vatur .

58 Dices : ejusmodi placitum commu-  
ni experientiæ adversatur : si enim æstate  
summa , ferro aut ligno æquali tempore so-  
li expositis manus admoveatur , major mul-  
tò caloris gradus in ferro , quam in ligno  
experietur : ergo vicina corpora sibi relicta  
quo ad calorem non fiunt æquilibria . Fal-  
sum consequens : fallax enim manus judex  
est , quatenus de percipiendo caloris gradu  
agitur .

59 Qua de re observandum est , tunc  
cadere in tactum caloris sensum , vel , ut  
di-

dicitur, *sensationem*, cùm à corpore externo ad eum igneæ particulæ adveniunt; frigoris verò *sensationem* accidere, cùm hujusmodi particulæ à tactu egrediuntur ad corpora vicina. Atque indè fit, ut si eandem numero aquam tepidam manu primùm experiamur, & illicò brachio recens nudato, tunc in manu quidem calorem, frigus in brachio sentimus: fallax ergo sensus noster judex est, cùm de calore judicat; non enim simul calida ac frigida erit aqua.

Idem contingit, quando unà manu aquam calidam, non alterà contrectavimus, & postea ambas simul in aquam tepidam immitimus; percipitur enim in manu frigida calor, in calida verò frigus. Nam propter æquilibritatem à manu calida egrediuntur ad aquam tepidam particulæ; à tepida verò aqua etiam ad frigidam manum transeunt particulæ igneæ: itaque cùm una deperdit, novum altera acquirit ignem.

60 Accedit, quòd corpora densiora plures moleculas, sive grandiusculas sub eadem mole particulæ continent: cùm verò eundem caloris gradum habent, ac corpus rarum, singulæ moleculæ in utrisque æqualem ignearum particularum numerum habent, ut fiat caloris æquilibritas. Itaque cùm sub eadem mole ferrum lignumque eundem caloris gradum habeant, non eundem ignearum par-

ticularum numerum habebunt , propterea quod plurimæ existant in ferro moleculæ , & peculiaris unicuique adhæreat ignis particula.

61 Igitur , cùm supra calidum ferrum altera manus , altera super lignum imponitur , quod eundem gradum habeat caloris , una plures in ferro particulas contingit , quàm in ligno altera : igitur si hujusmodi gradus caloris , calorem tactūs superet , manus in ferro accipiet de novo v. g. 1000 particulas igneas , quia contingit moleculas 1000 ; in ligno autem manus altera particulas igneas acquiret 500 , v. g. quia tantummodo contingit moleculas 500 , atque ab unaquaque molecula una tantum particula ignea in utroque corpore egredietur ad tactum : igitur duplum in manu unā calorem experiemur , præ illo , qui alterā percipitur.

62 Etiam sensus frigoris ex eodem venit ; nam dum calor manū ligni vel ferri calorem superat , igneæ particulæ à manu egrediuntur , ut horum corporum calor ad æquilibrium usque augeatur. Necesse est autem ut singulæ particulæ seu moleculæ ferri novam accipient ignis particulam : ideoque multò plures ignis particulæ sunt à manu egrediendæ , ut unus caloris gradus amplius in ferro augeatur , quàm in ligno ; ac pro-

ptereà major tunc experitur in ferro, quàm in ligno frigus.

63 Atque eadem causa est, cur loca subterranea calida nobis videantur sæviente hie-  
me; in æstate verò frigida deprehendantur,  
cùm tamen thermometro examinata caloris  
gradum habeant semper eundem; quia dum  
tactus noster aeris frigore constringitur, mi-  
norem habet gradum caloris, quàm loca  
subterranea, atque adeò indè particulas igneas  
fuscipit, & calida inveniuntur; æstate ve-  
rò caloris gradus, qui in aere libero vi-  
get, major est illo, qui in locis subterra-  
neis invenitur, quocircà dum tactus à loco  
superiori, & aere libero transit ad locum  
subterraneum, à majori calore transit in-  
minus, ac proptereà experitur frigus.

64 Ex eadem caloris æquilibitate ve-  
nit, ut grata nobis sit in æstate aura le-  
nis, in hieme verò ingrata; siquidem dum  
nimius in tactu calor est, aeris particulæ à  
nobis auferunt vicissim particulas ignis, &  
tactus paulatim ad naturalem statum redu-  
citur; in hieme verò, in qua calor est exi-  
guus, cutisque nostra minorem, quàm na-  
tura exigit, calorem habet, si aeris frigidio-  
ri communicat aliquas igneas particulas, ad  
statum reducitur, in quo major est differen-  
tia, habitâ ratione caloris naturalis.

## PROPOSITIO II.

65 *Corpora densiora, si accuratiū loquamur, caloris gradum mutant tardius.*

Experientiā id constat: namque dum corpora calida frigescunt, vel frigida calefiunt, faciliū in ligno mutatur gradus caloris, quam in lapide, faciliū etiam in aere, quam in ligno; si æqualia thermometra intra lignum & lapidem, atque aerem liberum collocetur. Ratione quoque idem confirmatur; etenim major inest in corporibus densis particularum numerus, quæ additis vel subtractis igneis particulis, faciliū ad æquilibrium reducentur: necesse est igitur, ut majus temporis spatium in hac ignearum particularum transmigratione conterendum sit, quando major particularum ignearum numerus transit ad vicina corpora. Mercurius tamen excipiendus est, qui quidem etsi aquā densior, hac celerius caloris gradum mutat.

## §. III.

*De secundo ignis effectu, seu de Dilatatione.*

66 **A**lter effectus ignis est, distentio, seu dilatatio, seu, quod vocant, *expansio*. Hanc autem expansionem in hunc

mo-

modum explicant Newtoniani : igneæ particulæ calidi corporis particulis repulsionem communicant ; atque hæ à se invicem aliquatenus separantur ; unde corporis dilatatio exsistit. Si ulterius istæc augetur repulso ita , ut æqualis sit vi cohærentiæ , qua complexæ inter se particulæ corporis tenebantur , tum hujus *fusio* exsistit ; tunc enim vis minima valet ad particulas corporis separandas : quod si ulterius adhuc augeatur repulso , *evaporatio* fit ; quippè cùm repellentes sese mutuò particulæ , vinculum , quo tenebantur , solvant , abeantque.

67 Id verò , quibus vis repellens illa ab igne inducta haud placet , aliam rei explicandæ viam ineunt. Ita ex eorum sententiâ , corporis particulæ , utpotè in citatissimum motum actæ ab igneis particulis , non in eodem possunt loco consistere , ubi antè quiescebant : quam ob rem spatiū occupabunt majus ; propterea corporis moles increscit , hocque dilatatur : ut ut res sit :

### PROPOSITIO I.

68 *Corpora omnia aut ferè omnia , nisi humore sint prædita , dilatantur igne.*

Experienciâ constat ; nam metalla , lapi des , cætera , dum incalescunt , molem augent. Namque si globus æneus per metal-

licam laminam perforatam transmittatur, ita ut diameter foraminis vix superet globi diametrum; aucto postea calore non pertransibit, nisi postquam ad pristinum caloris gradum reducetur.

69 Confirmatur; nam in instrumentis musicis chordæ metallicæ calore laxantur; sic pendulorum virgæ in horologiis longiores fiunt calore, eorum vibrationes retardantur, &c. ergo corpora, nisi sint humida, calore dilatantur.

70 Porro ad dimetiendam corporum dilatationem instrumentum repertum est, quod *Pyrometrum* vocant. Constat hoc quidem oblongâ quadam capsulâ, in qua tres vel quatuor flammæ æquales in longum disponuntur, ut esse possit vis ignea modo ut 1, modo ut 2, vel 3, vel 4. Has super flamas metallica virga horizontaliter aptatur dilatanda, cuius una sit extremitas fixa, altera vero claviculâ quadam ligetur cum regula dentatâ, ut quandam moveat rotam dentatam centram, in qua circumvolvit index gradus dilatationis virgæ ostensurus: nam prout mobilis extremitas plus minusve mota fuerit, plus etiam minusve circumvolvetur index. Hoc si quis, sicut Muschembroekius, utatur instrumento, inveniet, diversam fieri in metallis dilatationem eodem posito calore.

Et

71 Et quidem ordo graduum dilatationis talis est.

Argentum	- - - - -	grad. 78.
Ferrum	- - - - -	80.
Orichalcum	- - - - -	89.
Similor	- - - - -	110.
Stannum Anglicum	- - - - -	153.
Plumbum	- - - - -	155.

72 Verum circa auri dilatationem cum argenti dilatatione comparatam non discri-  
men tantum, sed etiam dubitatio reperitur,  
cum ei quidam majorem, minorem quidam  
tribuant dilatationem: quod quidem inde  
provenit, quia neutrum metallum omnino  
ab heterogeneis particulis depurgatum, ad  
calculos vocatum est.

Est & alia metallorum inter se circa di-  
latationis celeritatem differentia. Hoc au-  
tem ordine dilatantur, incipiendo à pro-  
ptiori, *Stannum*, *Plumbum*, *Argentum*,  
*Similor*, *Orichalcum*, *Ferrum*. Ex quo  
colligitur, nec dilatationem, nec ejus ce-  
leritatem sequi metallorum densitatem.

### PROPOSITIO II.

73 *Corpora humida, generatim loquen-  
do, calore constringuntur.*

Nam calore actæ partes fluidorum avo-  
lare possunt, ac reliquæ interim particulæ  
ad

ad se se invicem accedunt : ergo humidorum corporum moles calore minuetur.

74 Confirmatur , quia lignum , argilla , & similia , quæ humiditate turgescunt , calore constringuntur : metalla verò & lapides , quæ humore non dilatantur , calore expanduntur . Quare ejusmodi differentia à corporum constitutione dependet ; in quibusdam enim patent aquariis particulis meatus , alia verò corpora illis aditum non patefaciunt .

75 Etiam , ajunt , in corpora humida igneæ particulæ introducuntur : ergo hæc etiam calore dilatabuntur . Respondemus , negando consequens : particulæ namque igneæ intromissæ compensare nequeunt aquarias , quæ in vapores abire coguntur .

76 Ponunt etiam argumentum ejusmodi : Plurima sunt ligna , quæ calore , dum non nimium urget , distenduntur , quanquam posteà ingravescente constringantur : igitur sunt corpora humida , quæ calore dilatantur . Falsum item hoc consequens ; ligna enim , quæ moderato calore dilatantur , non humida statim existimanda sunt , sed vel resinosa , vel nimis sicca ; namque ebenum viride calore constringitur , siccum dilatatur : ligna autem resinosa moderato calore dilatantur , proptereà quod eorum resina dilatatur ; hæc verò postquam resina egressa est ,

eadem ratione constringuntur, quâ corpora humida, videlicet, quod diminuta sit eorum materia.

77 Adde, quod chordæ ex animalium intestinis confectæ lento etiam calore aliquatenus dilatantur; postea verò constringuntur; quia, dum aquariæ particulæ cum aliis nimis implicatae detinentur, chordæ calore protenduntur, propter intromissas particulæ, postea verò, aquariis particulis amissis, eadem chorda constringitur.

#### §. IV.

#### *De cæteris ignis effectibus.*

**S**unt & alia, quæ per ignem efficiuntur; **S**hus enim vi plurima corpora funduntur, quædam calcinantur, alia demum vitrificantur: quæ nunc breviter reddemus.

#### PROPOSITIO I.

78 *Corporum fusio in eo constituitur, quod vinculum homogeneas inter particulas ita dissolvatur, ut eae possint quoquaversus, sicut in fluidis, moveri.*

Nam, hoc posito, fusa corpora fluidorum proprietatibus perfruentur: ergo in hoc fusio posita est. Confirmatur, quia aurum,

mer-

mercurio affuso, liquefcit; sicut etiam argilla aquâ superfusâ: èd quòd particulæ homogeneæ haud mutuò copulentur, sicut anteà, propter ingressum extranearum particularum, quæ illas invicem dividunt: ergo tantumdem ceræ ac metallis, igneis immisis particulis, poterit evenire.

79 Sed hæc contra: si id ità esset, omnia corpora calore funderentur, quod est falsum. Respondemus, ità naturam ac constitutionem cujusque corporis comparatam esse, ut in quibusdam igneæ particulæ nexum solvant homogenearum, in quibusdam non solvant. Ideò quædam calore funduntur, quædam siccantur, & duriora fiunt amissis aquariis particulis, quæ nexus firmorem impiedebant.

80 De calcinatione, jam suprà dictum est; hæc enim fit, cùm vi ignis particulæ eujusdam generis evaporantur, reliquæ vero relinquuntur: quòd si ejusdem virtutis refringentis particulæ residuae fuerint, notabilibus intervallis omissis corpora vitrificantur; quòd tum mixti constitutione, tum actione ignis cernendum est. Cæterū inter igneos effectus censetur fervor, de quo sit

cata, in aliisque terrenum mandanti exhibete possunt divisionem, modo aequalis sit calor niger. Quod ut perficeret, hoc induxit

## PROPOSITIO II.

81 *Fluida postquam ebulliunt, in eodem caloris gradu perseverant.*

Probatur experientiâ: nam si ea thermometro examinentur eundem gradum initio fervoris exhibebunt, quem post longum temporis spatium ostenderent, licet vis ignis augeatur: ergo, dum ebulliunt, in eodem caloris gradu conservantur. Confirmatur, quia in fervore particulæ ignis, quæ retineri in corpore non possunt, turmatim egrediuntur, dum bullas excitant: ergo quotquot per fundum vasis intromittuntur, per superficiem fluidi egrediuntur; ac propterea eundem servabunt calorem.

82 Ad ignem quoque spectat *evaporatio*, quæ quidem alter effectus est caloris. Fit autem evaporatio, cùm fluidorum particulæ calore solvuntur à reliquis, ac simul cum igneis particulis avolantibus sursum ascendunt. Quod quidem, dum per successiōnem contingit, reliquis remanentibus, corpora siccantur; ac propterea fit salis separatio, aut particularum earum, quæ non ita facilè avolare possunt.

Nam, hoc posito, fusa corpora fluidorum proprietatis perfruuntur: ergo in hoc fusio possit esse. Confirmatur, quia autem,

## §. V.

*De Mensura Caloris, sive de Thermometris.*

83 **T**hermometrum instrumentum quoddam vocatur, quo gradus caloris examinantur. Primus instrumentum hoc inventit Drebbelius, in quo per dilatationem aeris in vitrea ampulla conclusi, mercurius plus minusve ascendebat per tubum incurvatum & parti inferiori ampullæ adhaerentem. Alii in ampulla vitrea includunt spiritum vini, qui quidem, dum calore dilatatur, ascendit per tubum, ac diversos caloris gradus exhibet. Sed ejusmodi instrumenta ut variâ fabricatione construuntur, itâ non universis observatoribus utilia esse possunt, nisi si uno eodemque Thermometri genere uterentur; facit enim eorum diversitas circa diametrum ampullæ, vel tubi & similia, ut cum Thermometrum quoddam gradus 20 exhibet, aliud 15, aliud 30 exhibeat.

84 Porrò comparabilia Thermometra Cl. Reaumurio debentur, eâ scilicet arte fabricata, ut ubique terrarum eandem exhibere possint divisionem, modò æqualis sit calor ubique. Quod ut perficeret, hac industriâ usus

usus est : duos fixos caloris gradus quæsivit ; primum glaciei , quando incipit liquefcere , secundum aquæ ebullientis ; quamvis enim ob pressionem aeris aliquod in hujusmodi calore discrimen deprehendatur , illud nequaquam , quod ad graduum divisionem spectat , percipietur . Igitur spatiū dividit inter liquecentem glaciem , & aquam ebullientem in partes 80 , quas partes gradus appellat , incipiente divisionum numero per glaciem , eodemque in aqua ebulliente terminato : in eo autem spiritu vini utitur .

85 Post hunc *Cl. Fabrenheytius* , cùm Thermometrum istud aliqua peccare animadvertisset , Thermometri alterius , & diversi quidem auctor fuit , cuius artificium tale est : Primum divisionis gradum , sive potius initium ejus ponit in glacie contusâ sale amoniaco mistâ ; divisionis vero finem statuit in mercurio ebulliente , atque intervallum ejusmodi in partes 600 dividit , utiturque mercurio .

86 Istiusmodi autem Thermometri præstantia ea est , ut in eo omnes caloris gradus examinari possint , cùm ultra ebullientis mercurii calorem reperiatur nullus : dein illud quoque spectatur , quod cuilibet calori inæquali suus respondeat gradus ; qua quidem virtute caret Reaumurianum Thermometrum . Siquidem spiritus vini calorem non

exhibit ultra aquam ebullientem; quin immò falsum ejus calorem ostendit; namque spiritū vini calor in Fahrenheytiano Thermometro est 175, calor verò aquæ ebullientis 212; itaque utriusque differentia 37; cùm autem spiritus vini, sicut & cætera fluida, calorem habere ultra æstum ferventis non possit, inde fit, ut cum spiritus vini gradus ostendit 80 in aqua bulliente immersus, non ipsius aquæ bullientis calorem exhibeat, quippè qui non eò usque procedat, sed suum declareret, qui aquæ falso tribuitur.

87 Cui ut occurratur vitio, pro spiritu vini mercurius adhibetur: quamquam enim notabiles minus tunc sint gradus, omnis tamen & quilibet caloris gradus examinari potest. Notabiles autem ut in Thermometro sint mercurii divisiones, quomodocumque illæ numerentur, sit ampulla satis ampla, tubus angustus, ac mercurius depurgatus. Si utraque simul divisio comparetur, frigus glaciei, quæ incipit liquefcere, sive initium divisionum, secundum Reaumurium, respondet in divisione secundum Fahrenheytiū gradibus 32; sicut etiam aqua ebulliens secundū primum æquat gradus 80, in alio verò gradus 212.

88 Atque, ut de Thermometris semel finiam, cùm ea subito in aqua calida immerguntur, primò descendunt, posteà ascendent:

dunt: similiter cùm aquæ rigenti vel glaciei admoventur, primò ascendunt, deindè descendunt. Nam calor & frigus primùm ampullæ vitreæ, pòst etiam fluido in ea contento communicantur: itaque cùm per calorem dilatatur ampulla, ejus capacitas augetur, fluidumque descendit, sed posteà cùm fluidum etiam dilatatur, per tubum ascensit; ac similiter cùm ampulla frigore constringitur, ejusdem minuitur capacitas, atque adeò ascensit fluidum; cùm verò fluidum quoque constringitur, per tubum descendit.

## §. VI.

*Quædam de calore explicantur.*

**H**AECENUS dicta sufficerent de calore, nisi quibusdam, quæ de eo fieri solent, quæstionibus occurrentum esset, quamquam eæ à præcedentibus non admodum abhorreant; sicut primum illud.

89 An fluida, posito eodem caloris gradu, candeni habeant dilationem? Cui respondemus negando, ductâ ab experimentis probatione; nam si à glacie ad ebullientem aquam fluida deducantur, eundem habebunt caloris gradum; dilatatio autem, observante Noleto, ità se habet.

Mer-

Mercurius	- - - - -	gr. 14-
Aqua	- - - - -	37-
Oleum lini	- - - - -	72-
Spiritus vini	- - - - -	87-

Igitur non eadem sub eodem caloris gradu dilatatio est.

90 Cui simile illud, utrum metalla omnia dilatentur, dum funduntur? Quod negamus; nam ferrum, auctore Reaumurio, quamvis, dum incalescit, dilatetur; in fusione tamen constringitur, cum præsertim incipit frigescere. Attamen omnia plerumque metalla in fusione dilatantur.

91 Quæri etiam potest tertio, an eodem caloris gradu omnia æquè metalla fundantur? Negatur quidem 1.<sup>o</sup>, quod experientia constat, ea omnia, quæ calore funduntur, diversos exigere caloris gradus ad fusionem: in metallis verò à facilioribus incipiendo iste ordo est: Stamnum, Plumbum, Argentum, Aurum, Cuprum, Ferrum.

92 2.<sup>o</sup> Quia fusio à dilatatione oritur, quando enim particulæ à se invicem recedunt, ut augeatur moles, earum cohærentia tollitur, ac metallum funditur: ergo metalla, quæ dilatantur faciliùs, faciliùs quoque funduntur.

93 Cæterùm ea metalla, in quibus inest mistura, quandoque faciliùs funduntur, ideo fortasse, quod heterogeneæ particulæ in motu positæ ad aliarum nexum solvendum aptiores sint.

LIBER V.  
DE AERE.  
CAPUT I.

*De Natura ac Proprietatibus Aeris.*

§. I.

*De gravitate Aeris.*

**R**Es erat apud antiquos minimè dubia, levem esse Aerem, qui eā ratione in hanc persuasionem ducti sunt, quod nullus, dum in aere versatur, professionem patiatur deorsum: contraria autem post Galileum ac Torricellum viget inter Recentiores sententia. Sit igitur

PROPOSITION I.

*Aer de se gravis est.*

94. Et probatur quidem i.<sup>o</sup>, nam si globus vitreus, exhausto aere, in libera fidei appendatur, atque ad æquilibrium statuatur, posteaque patescat aeri aditus, gravior ipse ob intromissum aerem invenietur. Ita unciam æquivalere aerem in unius pedis globo intromissum observavit Wolfius; ego verò iteratis periclitationibus deprehendi in globo 6 pollicum modò grana 54, modò 63, modò

82, ac tandem 103, seu ferè drachmam cum semisse; quod quidem observatam à Wolfio gravitatem longe superat: globus enim minor est ad majorem sicut 1 ad 8, pondus verò aeris inclusi sicut 1  $\frac{1}{2}$  ad 8.

95 Atque monere hic par erit, hanc ponderis differentiam ex duabus maximè causis fieri posse: 1.<sup>o</sup> propter aeris evacuacionem; neque enim is semper eodem modo evacuatur: 2.<sup>o</sup> propterea quod aer non semper idem sub eadem mole pondus habeat, ut postea videndum est.

96 Probatur 2.<sup>o</sup>, quia posito Recipienti in Machina Pneumatica statim atque aer interior egreditur, exterior premit Recipientis contra Machinam, ut ab ea non nisi difficillimè possit avelli: ergo pondere suo Recipientis premit deorsum: atque inde fit, ut quod major fuerit basis Recipientis, eò Recipientis fortius illi adhæret; quia majori aeris columnâ premitur.

97. Probatur 3.<sup>o</sup>, quia in Barometro columnâ mercurii, (quae quidem gravis est) cum columnâ aeris sit æquilibris: igitur haec quoque gravis est; cum alioquin non possit ad æquilitatem statui corpus grave nisi cum alio gravi. Inde fit, ut, positâ eadem aeris affectione, mercurius in eadem consistat altitudine, vel sit tubus amplior, vel angustus; ac similiter vel sit tubus plus

minusve longus semper mercurii altitudo est circiter pollicum 28; quia in æquilibrio fluidorum in vasis communicantibus ratio non habetur, nisi altitudinis columnarum in ratione inversa densitatum.

98 Similiter in antliis pondus aeris libratur pondere aquæ, cuius altitudo est circiter pedum 32, propterea quod altitudines columnarum aquæ & mercurii sint in ratione inversa densitatum, ut cum aere librentur: ergo idem in columna aeris pondus inest, ac in columna aquæ: poterit ergo cognosci pondus aeris pedi quadrato basis respondens, seu pondus columnæ aeris, cuius altitudo tota sit atmosphæræ altitudo, basis vero sit pes quadratus; quia hoc pondus æquale est ponderi columnæ aquæ, cuius basis sit eadem, altitudo vero sit pedum 32: pes enim cubicus aquæ æquat libras 72: tota ergo columna vel aquæ, vel aeris æqualis est libris 2304. His præmissis jam ad ea, quæ indè fluunt, veniamus, corollaria.

### COROLLARIUM I.

99 Hinc patet, cur in antlia vel in Barometro statim, ac in superiore aquæ vel mercurii partem aer ingrediatur, pondere suo ea premit deorsum, tolliturque æquilibrium; quia scilicet intra antliam tunc premunt

munt pondus aquæ suspensæ ac pondus aeris superveniens; at verò extra antliam pondus aeris tantùm reperitur, tollitur ergo æquilibrium.

### COROLLARIUM II.

100 Hinc etiam, cur aqua nisi ad certam altitudinem non ascendet: nam si ultra illam ascenderet, fluidum inferius plus ab aqua, quæ est in tubo, premeretur, quàm ab aere externo, atque ità ea aquæ portio à majore ad minorem confugeret pressionem, & egrederetur à tubo: eadem in mercurio ratio valet.

101 Hæc ità à Recentioribus passim, aliter verò ab antiquis olim intellecta deprehendimus. Existimabant enim ii hunc ascensum aquæ ex horrore quodam Vacui proficiisci, quasi si in hoc legem ferret Natura gravitati contrariam, ut periculum magius vitaret. Neque verò animadverterant duo hæc imprimis adversùs decantatum illum Vacui horrorem pugnare; primum scilicet, quòd in aqua quidem ultra 32 pedes, ac in mercurio ultra 28 pollices, abesset ille horror, cùm fluida non ascenderent ultra has altitudines: alterum, quòd hæcmet altitudo sumenda esset in linea verticali, ità ut in tubo pollicum 34 & ultra, mercurius ascenderet ad summum, si sit inclinatus,

&amp;

& linea verticalis consuetam non excedat altitudinem; descenderet vero fluidum, si elevetur tubus. Quod ideo dictum sit, ut diverticulo, quod prætenderent, occuratur, videlicet, posse supremam tubi partem effluviis, aut vaporibus impleri inferioris fluidi.

### COROLLARIUM III.

102. Præterea, si summum Vacui Recipientis ostium vitro operiamus, confringetur: pondus enim superius aeris, sublato inferiori aeris interni renixu, vitrum confringit; nisi exigua sit adeo ostii diameter, ut tenuem columnam possit vitri crassitudo sustinere.

### COROLLARIUM IV.

103. Apparet etiam, cur idem continget, si Recipientis ostium laterale sit, vel deorsum vertatur; si nimis Recipientis collo incurvato instructum Machinae adhaereat: ratio est, quia pondus aeris in omni sensu agit, sicut de fluidis alibi diximus.

### COROLLARIUM V.

104. Denique, cur hemisphæria Magdeburgica mutuo sibi adhaereant, constat: pre-  
muntur enim mutuo ab aeris pondere, quo-  
ties interior evacuatur aer, tunc enim ex-  
ter-

ternum pondus nullum habet in renixu interioris aeris æquilibrium; sicque intra Recipiens quām facillimē separantur: vis autem ad separationem necessaria ex tota areā, seu circulo basis dimetienda est. Cūm sit hæc mensura columnæ aeris elevandæ.

105 Contrà, ajunt, si aer gravis esset, quæcunque infernè posita perimeret corpora. At falsò hoc sūmunt. Nam ità naturā comparata sunt gravia fluida, ut subjacentia corpora undique premendo, nullam iis afferant ruinam; cūm enim hæc ex altera parte premuntur, sustinentur ex altera.

106 Prosequuntur: At hæc pressio unde quaque sub sensum caderet viventium corporum, quod quidem communi experientiæ adversatur; nemo enim usque adhuc repertus est, qui ejusmodi aeris pondus experiretur. Sed observare oportet quod nullus esse potest istius pressionis sensus, cum sub ea semper constituti sumus: si aliquando vixisset homo ab hac pressione liber, eamque denuò ac subitò experiretur, tunc ea quidem sensibus subjiceretur, non ità vero si sub ea perpetuò vivat; non enim ad sentiendum commovetur organum, nisi quædam in eo mutatio suboriatur, transitusque fiat ab uno statu ad aliud; sicut qui inducio assuefacti sumus, illud nunquam, nisi cūm de novo induitur aut exuitur, sentimus.

Hoc

107 Hoc etiam argumentum ponunt sic : Si hæc vera sunt , homo posset ultra 5.000 libras aerii ponderis sustinere ; quia anterior vel posterior ipsius corporis superficies valebit ultra 2 pedes quadratos : columnæ autem aeris pedi quadrato respondens æquiparat 2.304 ; sed hoc est falsum ; quia multò minus ponderis sufficeret ad inferendam cuique mortem : ergo falsa quoque ea , quæ hactenus dicta sunt.

108 Ut solutio clarius intelligatur , hæc priùs proderit observatè ; primùm , quod spongia altissimâ sub aquâ constituta adeò expansa invenitur , ut si extra illam manaret ; quanquam sub unica plumbi librâ compressa conspiciatur ; quia scilicet aqua meatus spongiæ pervadens non integrum ejusdem molem premit , sed singulas spongiæ fibras minimas ; propterea non unam premit fibriam contra aliam , sed latera tantum cuiuslibet fibræ minimæ ; quod in pressione plumbi non contigit ; in hoc enim cùm quædam fibræ contra alias premantur , molles tota minuitur ; similiter in aere dicendum.

109 Nec non & illud observandum , quod compressus aer ulteriori pressioni resistit ; in singulis autem corporibus valde compressus aer reperitur ( ut libro ultimo dicemus , cum de aere fixo ) ità ut sibi relictus spatiū occupet illo longè majus , quod in-

integrum corpus occupabat , ut posteà dicendum : indè sit , ut exterioris aeris pondus , subjecti corporis molem minuere non possit , quia illud jam compressit , quantum inclusus in corpore aer tulit ; atque adeò si corpus sit flexibile , & in vacuo consti-tuatur , dilatabitur.

110 De cætero huic aeris pressioni plurimi tribuendi sunt effectus . Atque illud imprimis , quòd , cùm per tubum fluidum alia quod fugimus , hoc ascendat sicut in antlia ; quia aer interior à tubo vel antlia egressus æquilibrium tollit cum aere exter-no , ac propterea illo præponderante , fluidum cedit externi aeris pressioni , ac tubum ingreditur.

111 Ac similis quidem ratio est alterius effectus , cùm vas aquæ vel plenum , vel semiplenum disco cooperitur & subito invertitur , nec tamen fluidum descendit : si quidem pondus aeris externi per interioris fluidi pondus superari nequit ; ac propterea hoc egredi non poterit , cùm necesse habeat aeris exterioris pondus elevare.

112 Eodem modo explicatur fluidi sus-pensio in tubo supernè obturato , infernè verò aperto , si vel tubus sit angustus , vel vas amplum ex inferiori parte velo coope-riatur , vel tandem admotâ chartâ clauda-tur ; nam si ascendere non potest aer eodem

tempore, in quo fluidum descendit, exterioris aeris pondus ab interno fluido superari debet, ut hoc descendat, ac externus aer loco pellatur, quod fieri nequit. Quamquam verò aer per angustissimum transeat foramen, sicut etiam aqua, hæc tamen duo simul moveri nequeunt in sensu contrario per tubum angustum.

Ad linteum vel velum, quod attinet, ori vasis admotum ac super illud extensum, hoc non alium habet effectum, nisi ad dividendum satis amplum oris spatiū in exigua spatiola, quæ quidem perinde se habent, sicut tenuissimi tubi, cùm invertuntur. Charta verò admota ideo fluidum suspendit in vase contentum, quia hoc non potest, quin repellat chartam, egredi; hæc verò sustinetur à pondere aeris, qui quidem contra chartam sursum nititur: jam enim statuimus fluida in omni sensu premere corpora illis immersa.

## §. II.

### *De Elasticitate Aeris.*

113 **A**ltera aeris proprietas est, quam *Elasticitatem* vocamus. Est verò Elasticitas insita quædam vis, quâ aer sibi permisus dilatatur, nec nisi aliundè

coa-

coactus intra justam molem continetur. Itaque

## PROPOSITIO II.

114 *Aer est elasticus.*

Hoc experimentis efficitur non paucis:  
 1.<sup>o</sup> Vesica non plena, immò ferè vacua, collo ligato, si intra Recipiens exhausto aere collocetur, turgescit ac dilatatur. 2.<sup>o</sup> Hæc eadem vesica intra Recipiens pondus attollit permagnum; quia compressus aer ab exteriore, hoc sublato, vim habet ad aliud pondus elevandum, quod minorēm vim habeat pondere aera extra Recipiens comprimente.

115 3.<sup>o</sup> Uter non plenus si collo ligatus ad altissimi montis verticem transferatur, plenus invenietur. 4.<sup>o</sup> Saponis spuma si intra Recipiens collocetur, magnopérè dilatatur, ità ut dum quælibet inflatur bulla ob elasticitatem inclusi aeris, tota mōles incredibiliter augetur.

116 5.<sup>o</sup> Si in parvo vase ovum ità collocetur intra Recipiens, ut acutior extremitas aperta deorsum vèrtatur, exhausto aere ovum evacuatur; atque si aer iterum ingrediatur Recipiens, substantia ovi intra putamen iterum recipietur; propterea quod versus alteram ovi extremitatem inclusus aer invenitur intra pelliculam ejus interiorem &

putamen exteriùs coacervatus. Hic autem aer, evacuato Recipiente, dilatatur, substantiamque ovi pellit extra putamen; aere verò exteriori admisso, interior aer ad pristinam redit compressionem, ovumque admittit.

117 6.º Si ovum intra aquam constitutum in Recipiente vacuo ponatur, per putaminis spiramenta inclusus aer egredietur, illique exteriùs adhærebit; singulæ autem bullæ, si evacuatio perseverat eadem elasticitate majores fiunt, & quandoque ad superficiem aquæ ascendunt.

118 7.º Dum pisces aquæ immersi in Recipiente constituuntur, exhausto aere vi ad aquæ superficiem trahuntur; vesicam enim aere plenam in ventre habent, quæ cessante pressione aeris, dilatatur, piscis augetur moles, quin pondus augeatur, levioresque fiunt aquâ: dum autem hanc pisces comprimunt vesicam, moles piscis minuitur, descenduntque per aquam, cùm minuatur pondus aquæ elevandum: atque talis est usus hujuscè vesicæ, ut pisces pro lubitu suo, dum vel comprimunt, vel dilatant, sursum, vel deorsum moveantur. Ex quibus efficitur constare in aere elasticitatem.

119 Hæc contrà: Si in aere inesset elasticitas, corpora illa, in quibus compressus retinetur, interiori vi disrumperentur: igitur

tur aer non est elasticus. Antecedens negatur: siquidem vis elastica, quâ aer nititur sese expandere, æquilibris fit cum vi exteri- ni ponderis, quâ aer exterior interiorem comprimere nititur. Inde fit, ut aucto vel diminuto pondere aeris exterioris, augeatur vel minuatur interioris compressio; itaque hæc duo semper ad æquilibritatem re- ducuntur.

### PROPOSITIO III.

120 *Elasticitas aeris æqualis est pon- deri externi aeris, si ab hoc fuit com- pressus.*

Etenim, quotiescumque vires duæ agunt in sensu opposito ad æquilibrium semper reducuntur, ne subsit actio reactioni inæ- qualis: sed pondus aeris prementis & com- pressi aeris elasticitas in sensu opposito agunt: ergo semper ad æquilibrium reducun- tur. Hinc illud exsistit, ut quò proximiùs aer atmosphæricus Tellurem ambit, eò majorem subeat compressionem ac elasticitatem ab aere superincumbente inductam.

121 Ex quo efficitur, ut effectus iidem, quin ponderi aeris tribuuntur, ab ipsius quo- que elasticitate oriri possint; vires enim æqua- les effectus eosdem præstare possunt. Hoc ta- men interest (quoad istiusmodi effectus) inter- pon-

pondus aeris atque elasticitatem, quod pondus aeris fluidum prementis idem perseverat, etiamsi fluidum per antliam ascendet, elasticitas vero non ita. Etenim dum fluidum cedit elasticitati aeris, spatium ejus augescit; quod fit, ut illud dilatetur, unde & elasticitas minuitur, propterea quod minor fit compressio. Quamobrem si antlia aquam hauriat e vase, quod non cum externo aere communicet, sed aliquam tantum contineat aeris portionem supra fluidum stagnans, hauriet quidem aquam in principio, sed postea, aere dilatato, vim non habebit ad aquam propellendam usque ad altitudinem consuetam.

## PROPOSITIO IV.

122 Aeris elasticitas ad libitum augeri potest.

Nam haec ex dictis aequalis est vi comprimenti; sed ejusmodi vis augeri potest ad libitum; ergo vis etiam aeris elastica. Idem multiplici experimento confirmatur.

E primum quidem, in fonte artificiali Tab. 5. (Tab. 5. Fig. 1.) quantò aer magis comprimitur, ac repetitis antliae ictibus in vas Fig. 1. intromittitur, tantò aqua majori vi resilit. Etiam in Sclopeto pneumatico (Tab. 5. Fig. 2. Fig. 2.) quo majori vi aer comprimitur in re-

receptaculo, eò longius emittitur globus plumbeus: ergo ad libitum augeri potest aeris elasticitas.

123 Perficietur autem ut compressus aer in fonte artificiali aquam vi projiciat, isto modo. Sit vas satis firmum & clausum atque non repletum aquâ (Tab. 5. Fig. 1.) à cujus ore ferè usque ad fundum descendat tubus *a o*; superiori parti tubi aptetur epistomium *m*, & huic epistomio ope cochleæ adhæreat antlia *H*, in cujus parte superiori *M* sit foramen per quod ingrediatur aer, dum embolus superiorem antliæ partem contingit: his sic apparatus, quando embolus descendit, antliæ aer per tubum *F* intromittitur usque ad fundum vasis, atque aquam permeando ad superiorem vasis partem p̄gredit, in qua retinetur aer, s̄cque comprimitur; posteà quando embolus ascendit, valvula *E* inferiori parti cochleæ aptata in antlia, aeris regressum impedit ad antliam, qui quidem iteratis antliæ ictibus, s̄epiùs in vas intromittitur, adauctâ vicissim compressione, donec tandem, ablatâ antliâ, atque canaliculò *i* aptato, epistomioque aperito, aqua vasis impulsa ab aere compresso ad tectum usque resilit.

Tab. 5.  
Fig. 1.

124 In Sclopeto verò (Tab. 5. Fig. 2.) tres sunt partes, nempe *A*, *D*, *B*,: in *A* receptaculum aeris situm est, cuius orificium

Tab. 5.  
Fig. 2.

*m*

*m* interiori valvula V instruitur, ut possit aer ingredi, non verò egredi, nisi aperiatur valvula. Huic orificio ope cochleæ aptatur antlia H, de qua modò diximus, aerque, quantum fieri potest, ibi iteratis ictibus comprimitur.

Postea aufertur antlia H, & huic receptaculo A ope cochleæ aptatur corpus D, in quo cum validissimum laxatur elasterium, permagnâ vi egreditur ferrum n, quod valvulam aperit receptaculi, ut aer impetu egrediatur. Tandem corpori D cochlea interveniente admovetur tubus B globo plumbœ G munitus, qui quidem vi magnâ ab aere propulsus, dum dilatatur, projicitur perinde ac si à pulvere nitrato propelleretur.

#### PROPOSITIO IV.

125 *Aer in corporibus inclusus validissimam ab eorum constitutione elasticitatem habet.*

Nam, dum quædam corpora dissolvuntur, tanta interdum aeris copia egreditur, vix ut credi possit. Ac primùm quidem ex sanguine suino aer egreditur spatiū occupans, quod ad spatiū sanguinis habetur sicut 33 ad 1. Etiam è cornu cervi prodit aer, cuius spatiū 234 vicibus illo majus est. Ac, ut reliqua taceam, quorum bonam

nam partem reperire est apud Physicos experientissimos, exit è ligno quercirco aer 256 vicibus major. Igitur elasticitas hujus aeris, incredibilis est. Sed de hoc iterum decimus Lib. X., cum de substantiis aeri-formibus.

126 Atque indè fit, ut alimenta quædam ventosa sint; propterea quod dum in stomacho dissolvuntur, permagnam aeris copiam emittant, qui quidem aut eructatur, aut alimento permistus in viscera descendit.

### §. III.

#### *De cæteris aeris proprietatibus.*

**T**ertia est aeris proprietas, quam *Comprimibilitatem* vulgo dicunt, nimirum talis indeoles, ut comprimi possit, atque in minus spatiū cogi. Qua de re sit.

### PROPOSITIO V.

127 Nullus usque adhuc *Compressionis aeris terminus* repertus est.

Nam Boyleius aerem coegerit in spatiū 13 vicibus minus; Halesius in spatiū 1.551 minus, in quo statu aquam longe superabat pondere ac densitate: ergo nullus adhuc terminus *Comprimibilitati aeris* inventus est, cùm nullus comprimenti vi appareat.

Quar-

Quarta aeris proprietas est *Densitas*: ea verò aut in statu ordinato proximè superficiem Telluris ambiens spectatur, aut in statu extraordinario, sive propter condensationem, sive propter rarefactionem.

## PROPOSITIO V.

128 *Densitas aeris in suo statu spectata est ad densitatem aquæ circiter sicut 1 ad 700.*

Siquidem, quando Barometrum sive Tubus Torricellianus à loco humili transferatur ad notabilem altitudinem, mercurius descendit, ità ut quælibet mercurii linea respondeat pedibus 61: ergo pondus aeris est ad pondus mercurii sic 1 ad 8.784; cùm autem mercurius sit ad aquam, sicut  $13 \frac{1}{2}$  ad 1, vel circiter, pondus aeris est ad pondus aquæ sicut 1 ad 700.

129 Neque verò illud prætereundum, non inter se consentire celeberrimos Physicos circa notandam altitudinis mercurii portionem in Barometro, facta cum altitudine montium collatione. Paschalius enim & *De la Hire* cuilibet mercurii lineæ dant pedes elevationis 72: Valerius, Cassinius, Maraldius & Chancelles cuilibet lineæ Barometri pedes tribuunt 60: Picardius dat pedes 84: Cassinius atque Maraldius post

ac-

accuratius examen , ac tentamina iterata dant primæ lineæ , per quam descendit mercurius , pedes 61 , secundæ lineæ 62 ; propterea quod in majori elevatione aer minorem habeat densitatem : tertiæ vero lineæ dant pedes 63 , &c. ac Gravesandius tandem pedes 66: sed videndum , quidnam inter Anglicum & Gallicum pedem intersit ; nam pes anglicus minor est eo , quo Galli utuntur.

130 Dissentionis autem hujusce , quæ in accuratissimorum virorum observationibus reperitur , ratio multiplex invenitur. Primum , quia officit quandoque Cœli tempries , quæ non est semper eadem ; quandoque enim eodem in loco pondus aeris vallet in Barometro pollices 28 , quandoque 29 , interdum etiam 27 ; quæ quidem varietas in causa est , cur lineæ cuilibet interim pedes respondeant 62 , interim 69 , interim 53. Deinde quia propter fornicem , qui supra mercurii superficiem exstat in Barometro , quandoque ad amissim non descendet per lineam mercurius , licet pro linea ejusmodi descensus habeatur. Præterea , quia mercurius non idem semper habet pondus , quippe qui mixtura plumbi vel stamni levior fiat : ex quibus efficitur , ut vel minima in duabus , aut tribus lineis differentia non mediocrem afferat columnæ aeris vicissitudinem.

Hinc

131 Hinc illa etiam opinionum varietas inter Recentes, qui non convenientur in definiendo aquæ pondere pro ratione ad pondus aeris. Boyleius namque aeris & aquæ densitates esse existimat sicut i ad 938; Hombergius putat esse sicut i ad 1.087; Haleius sicut i ad 860; Hauxbeius sicut i ad 885; Nolletus sicut i ad 800: Musschenbroekius demum sicut i ad 681; quæ quidem ratio est circiter sicut i ad 700, quam supra probavimus, propterea quod magis convenire videatur correctis Cassinii & Mairaldi observationibus.

132 Est & inter proprietates aeris *Rarificatio*; is enim ut comprimi, atque in minus spatum cogi, ita dilatari etiam potest. Et Mariotius quidem illum reduxit ad spatum 4.000 vicibus majus: præterea hic idem propter calorem aquæ ebullientis dilatatur, ac ulterius tertiam suæ molis partem occupat: tandem in Recipiente per propriam elasticitatem dilatatur, quantum per antlias ipse evacuatur: ergo aer magnoperè dilatari potest.

133 Adde, quod licet ex Recipiente educi aerem dicatur, hoc non eò procedit, ut exhaustiri posse omnino intelligatur; antlia enim, dum attollitur embolus, nihil aliud efficit, quam ut aeri Recipientis liberum relinquatur spatum ad se se æqualiter

ter diffundendum; posteà verò, cùm embolus deprimitur, aer tantummodo excluditur is, qui in antlia invenitur; quo quidem modo semper aer in Recipiente residuus illud replet, et si summoperè rarefactus sit.

Quòd si spatium explorare velimus à particulis aeris occupatū referendo ad spatium ab ipsius meatibus occupatum, rationem inire licebit hoc modo: materia solidā est ad molem auri (ut conjicit Newtonus) sicut 1 ad 2; moles verò auri est ad aquæ molem sicut 1 ad 19, si autem examinetur pondus; sunt sicut 19 ad 1: tandem aquæ atque aeris moles, statu communī spectato, sunt ut 1 ad 700, aut circiter: ergo si materiæ solidæ moles cum aeris mole comparetur in densitate ordinatâ, erunt sicut 1 ad  $2 \times 19 \times 700 = 26.600$ ; ac propterea aer spatium occupans cubicorum pedum 26.600 reduci poterat ad spatium unius pedis, si meatus omnes vitari possent.

134 Cæterūm non desunt, qui majorem, quam Mariotius, aeris tribuant dilatationem, sed falluntur. Non enim ad aerem sed ad aquarios vapores rarefactio est tribuenda. In ejusmodi autem vaporibus rarefactio longè superat dilatationem aeris; cùm aqua ad vapores redacta occupare posset spatium 14.000 vicibus majus, ut suo loco dicemus.

Sit

134 Sit tandem quinta proprietas aeris *Fluiditas*. Hæc verò aquæ fluiditate minor est; aqua enim penetrat per vesicam, nequaquam verò aer: similiter aqua compressa per argenti vel cupri poros penetrat, aer verò per eorum meatus transmitti nequit.

136 Quod si pro *humiditate* accipiatur corporis adhæsio ad alia extranea, tunc aer quidem non tam humidus est, quam aqua; sed tamen vitro adhæret, sicut experientia testatur. Quando enim inter Machinæ vacuum aqua in vase continetur, bullæ apparent interiori vasis superficie adhærentes; quia particulæ aeris ibi adhærentes sic dilatantur, ut majores & majores bullas efficiant. Cui illud simile est, cum vas calorem habet majorem, quam anteà, atque per illum particulæ aeris in aquam intromissæ dilatantur, ac exeunt in bullas.

137 Supereft hoc circa aeris proprietates monere, quod diurna ejus compressio elasticitatem non minuit. Robervalius namque compressum in sclopeto pneumatico aërem servavit per 15 annos, qui eosdem sicut anteà effectus præstítit.

## §. IV.

*De Barometro.*

138 **P**orrò ad explorandum pondus aeris repertum est *Barometrum*, quo nomine tubus Torricellianus appellatur. Hujuscem per id constat usus, quod, dum mercurius in vase stagnans premitur eodem tempore, & ab externo aere, & ab interiori mercurio tubi, majorem pressionem evasurus confugere debet in minorem. Atque inde fit, ut tubum ingrediatur, ac in illum ascendat mercurius; quia major sit pressio exterior; quando verò egreditur à tubo, & mercurius descendit, pressio exterior sit minor, & interior existit major ob majorem justo columnæ altitudinem.

139 Ne verò sit intra tubum pondus aliquod vel causa premens præter mercurium, superior tubi extremitas esse debet hermetice clausa, & antequam verticaliter aptetur tubus, mercurio est implendus: alioquin vel aer ingrediens, vel in superiori parte tubi conclusus, vel pondere vel elasticitate pondus augebit, & interioris mercurii pressionem.

140 Tubus iste aptari debet cum ampulla tabellæ ligneæ ad id excavatae, quæ qui-

quidem dividenda est in pollices ac lineas, ut per columnæ mercurii altitudinem exteriæ aeris pondus fiat æquilibre. Hujus autem divisionis initium sumendum est à linea superficie mercurii stagnantis in ampulla, quia infra hanc lineam in tubo fit mercurii æquilibras cum mercurio stagnante externo, non verò cum aere superincumbente. Superficies autem mercurii in ampulla multò major esse debet mercurii superficie intra tubum, ne hujusmodi superficies externa notabiliter mutetur per ascensum vel descensum mercurii in tubo; alioquin tabellæ divisio falsa evadet.

141 Quando mercurius ascendit ad pollices 28, aer pondus habet ordinatum; si ulterius ascendat, augetur aeris pondus; contrà si descendat, minuitur: est enim ea æquilibrii lex, ut uno pondere aucto, vel imminuto similis in alio contingat mutatio. Igitur:

### PROPOSITIO I.

142 Non semper aer eodem cum pondere conservatur.

Nam non eandem mercurius servat in Barometro altitudinem, etiamsi in eodem loco constituantur Barometrum: ergo aer factus cum mercurio æquilibris, non idem sem-

semper pondus habet, etiam si eodem in loco ejus pondus exploretur. Igitur

## PROPOSITIO II.

143 Aer in eodem loco non idem semper elasterium habet.

Namque aeris elasterium compressionem sequitur, ac proinde vim comprimentem, sive pondus superincumbens: sed pondus hoc non est semper idem: ergo nec vis elastica. Igitur

## PROPOSITIO III.

144 Quando mercurius ascendit, vel descendit in Barometro, altitudo columnæ aeris mutatur, quomodo cumque hoc contingat.

Etenim pondus aeris variari nequit, nisi columnæ ipsius densitate aut altitudine mutata; sed densitas sive compressio, nisi per altitudinem superincubentis columnæ, mutari nequit: ergo nullo modo, nisi mutata columnæ altitudine, potest pondus aeris variari. Igitur

## PROPOSITIO IV.

145 Barometri variatio ventos indicat potius quam pluviam.

Tom. II.

Y

Nam

Nam variatio Barometri, ex dictis, diversam columnæ aeris indicat altitudinem; sed hanc diversam altitudinem venti tantum efficiunt, qui in suprema regione undulationes pariunt, aut alio quocumque modo prominentias & concava: ergo potius ventos, quam pluviam indicat.

146 Confirmatur 1.<sup>o</sup>, quia sœpe, pluvia per aliquos dies descendente, Barometrum ultra consuetam altitudinem perseverat, sicut etiam quandoque descendit mercurius, antequam pluat: ergo causa alia mercurii altitudinem mutat.

147 Confirmatur 2.<sup>o</sup>, quia si aut pluvia, aut aquarius vapor pondus aeris mutaret, illud potius augeret, quam minueret; sed communī experimento compertum est, nimbosum aerem sicco esse leviorem, cùm tempore pluviae plerumque mercurius descendat, ascendat vero tempore sicco: ergo neque pluvia, neque vapor aquarius per se mutant Barometrum.

148 Confirmatur 3.<sup>o</sup>, quia, ut ex Hydrostaticæ lege notum est, vapores tandem in aera attolluntur, quandiu aer vaporis latera ambiens illo gravior est; aer enim per successionem à Terra ascendendo, minorem & minorem densitatem habet: ergo tantummodo consistent vapores, cùm ad eorum latera aerem habeant ejusdem cum il-

lis densitatis : tunc enim erit æquilibrium inter columnam tantum ex aere concretam, atque columnam ex aere & vaporibus compositam : ergo tantum premetur mercurius barometri à columnâ limpidiſſimi aeris, quantum à columnâ aeris cum vaporibus commisli : ergo vapores nullo modo mutare posunt altitudinem mercurii.

149 Confirmatur 4°, quia interdum, cùm turbine ac tempeſtate aer quām vehe- menter agitatur, mercurius in Barometro depressoſus ſubſultare videtur, modò ſeſe eri- gendo, modò deſcendendo; propterea quod columnæ aeris altitudo breviſſimo tempo- riſ intervallo commutetur: ergo iſta Baro- metri variatio, nunquam ſatis explicata, ventos potiū, quām pluviam aut ſiccitatē denotat.

150 Atque nihil ut omissum videa- tur, quod rei (præfertim obſcuræ) ape- riundæ causā adduci oporteret, ſciendum eſt, quod dum nubes ventum gignens ſur- ſum adſpirat, columnâ aeris minus gravi- tat, quām anteā, propterea quod gravitas ejus minuatur actione vaporum, quæ ſur- ſum reflat: præterea hic idem aer, qui à nube ſursum propellitur ſuper alias vicinas aeris columnas accervatur, atque adeò al- tioreſ redipuntur ac gravioreſ. Similiter si nubes ſpiret deorsum, columnæ inferiores

graviores evadunt; eò quòd ad aeris pondus in eodem sensu ventorum vis accedat. Tandem si nubis fatus adstet horizontalis, aeris actio supra mercurium minuetur, quia procelloso ventorum motu versùs latera rapiantur particulæ illæ, quæ alioquin gravarent inferiores. Verùm incerta hæc, ac, ut suprà indicavimus, obscura esse fatendum est, ideoque graviora, si qua exstant, rationum momenta ad illustrandum vulgare phænomenum non gravabimur accipere.

## §. V.

*De aquæ motu in vario antliarum genere.*

151 **C**um non una sit in antlia ratio dispositionis emboli, ac valvularum, ità non unum ejusdem genus est. Nam aliæ dicuntur *aspirantes*, aliæ *prementes*. Antlia duntaxat aspirans nihil est aliud, nisi tubus embolo munitus, qui quidem embolus dum per tubum ascendit, elevat aquam ad altitudinem circiter 32 pedum; supervacuum autem est ultra ejusmodi altitudinem majorem aquæ elevationem tentare, sive diametrum tubi minuendo id fiat, sive quocumque alio modo; cùm pondus aeris aquam ultra elevare haud possit.

152 Antlia premens ea est, cuius val-

yu-

vula fundo subjacet (De Aere Tab. 5. Fig. 3.) Tab. 5.  
Fig. 3.  
 in hoc ut ingredi possit aqua, non egredi. Habet autem hæc eadem antlia aliud propè fundum foramen, per quod aqua egreditur, ut per alium tubum ascendet. His ita comparatis, dum embolus attollitur in A, illum aqua sequitur, & ascendit; quandò verò deprimitur, nequit aqua egredi per tubum E, qui aditum illi præbuit, cù quod valvula n<sup>o</sup> claudatur, cùm tamen ab embolo prematur, egreditur ad tubum B, per quem ad altitudinem ascendit vi prementi respondentem: ne verò aqua refluat à B in A, quando embolus iterum attollitur, oportet ut in fundo vasis B, altera canali communicationis aptetur valvula m.

153 Verum hujusmodi antliæ prementes etiam aspirantes sunt, & quidem vulgatissimæ. Sin antliam duntaxat prementem velimus, hoc debet modo construi: (De Aere Tab. 5. Fig. 4.) Sit vas, in quo contineatur aqua, ibique cum embolo introducatur antlia, quæ perforata sit in latere B, ut possit ingredi aqua in antliam infra embolum per æquilibrium cum aqua exteriori; dum autem embolus descendit, aqua oppressa egreditur per canalem E; nequit autem regredi ad antliam A, quando embolus ascendit, quia per valvulam retinetur in O.

154 Potest alio quoque modo instrui antlia

Tab. 5.  
Fig. 4.

Tab. 5.  
Fig. 5.

lia aspirans, ut elevetur aqua ad majorem altitudinem, quām 32 pedum. (De Aere Tab. 5. Fig. 5.) Sit in fundo antliæ A constituta valvula M; sit in embolo etiam foramen O à superiori parte valvulâ instructum; dum embolus attollitur, aqua antliam ingreditur ex vi ponderis aeris, & ad altitudinem usque 32 pedum extolli potest, qui quidem pedes à superficie aquæ stagnantis numerari debent; postquam verò ibi embolus cum aqua pervenerit, deprimatur; tunc aqua oppressa & per valvulam M clausa in fundo antliæ, per embolum ad ipsius superiora penetrat: si iterum elevetur embolus, non modò aqua inferior illum sequetur ratione ponderis aeris, sed aqua etiam superior per embolum elevabitur, propterea quod ipsius valvula O retineatur; iteratis autem istibus aqua supra embolum accumulabitur, atque ad altitudinem extollebitur vi agenti consentientem.

Tab. 5.  
Fig. 6.

155 Est & aliud antliarum genus, eorum nempe, quæ *perennes* dicuntur. Hæc vase constat triplici A, B, C; (De Aere Tab. 5. Fig. 6.) per antliam A hauritur aqua, dum ascendit embolus, dum verò descendit, aqua egreditur ab A in B & C, clauso valvulâ in canaliculo inferiori, ne in aquam refluat stagnantem. Igitur aqua per tubum C vi propellitur embolo descendente; simulque dum in

in vase B aqua ascendit, ibi aerem comprimit, qui quidem, cessante emboli actione, restituitur, aquam extorsum pellendo; hæc verò aut refluet in antliam A, aut in tubum C; at valvula N prohibet ne in antliam A refluat; propelletur ergo in tubum C, atque ita per hunc tubum egressu perenni aqua projicitur, quia embolo descendente illius vi projicitur, illo verò ascendentे projicitur ab aere compresso in B, qui sese expandit.

**156** Itaque, ut omnia breviter percensere liceat, quatuor antliarum sunt genera; quarum prior aspirans duntaxat, qualis exhibet figura 5: altera est duntaxat premens, sicut in figura 4: tertia mista, id est, aspirans simul & premens, ut in figura 3: quarta tandem aspirans & premens & perennis habetur, qualis repræsentat Figura 6.

### §. VI.

*De aliis effectibus, qui à pondere Aeris, aut illius elasticitate nascuntur.*

**157** **P**lurimus utique in quibusdam effectibus inspicitur usus ponderis aeris, aut ipsius elasterii. Imprimis namque eo utimur ad transmittendum fluidum quodlibet ab uno vase in aliud, illis immotis,

*tu-*

**Tab. 5.** **Fig. 7.** *tubum* scilicet *inflexum* adlibendo, in quo per duo crura inæqualia fluidum ascendit ab uno vase, & in aliud descendit. Id enim accidit nimirum, si tubus ipse fluido impletatur, ac plenus in fluidum stagnans vasis evacuandi immergatur. Animadvertisendum tamen, (De Aere Tab. 5. Fig. 7.) quod si fluidum transmittendum sit à vase A in B, immerti debet in A pars tubi brevior; semper enim in hac transfusione fluidum descendit.

158 Nunc verò quomodo hic pondus aeris intercedat, videamus. Nam pondus aeris æqualiter fluidum stagnans premit hinc inde, atque ambas sursum pellit fluidi columnas, sed inæquali vi; columna enim brevior a majori vi propellitur sursum, quam columna b, quæ est longior: fiet ergo conflictus inter duas fluidi columnas in communi utriusque summitate; eaque prævalebit, quæ majori vi sursum propellitur, scilicet a, & hæc longiorem aliam & gravorem coget ad descensum, illamque sequetur propulsa à pondere aeris prementis fluidum stagnans in A.

**Tab. 5.** **Fig. 8.** 159 Atque hic idem datur effectus, etiam si tubus ille crura habeat æqualia (Tab. 5. Fig. 8.) si unum tantummodo crus fluido immergatur; tunc enim per immersionem sit brevior columna elevanda; siquidem pars ejus

ejus interior infra superficiem fluidi stagnantis non quidem cum aere, sed cum fluido stagnante redditur æquilibris; itaque columnæ aquæ vi sursum pellenda, altera brevior est. Neque verò in hisce fluidi columnis habenda est ratio longitudinis earum aut amplitudinis, sed sola altitudo verticalis inspicienda est; sicut de fluidis diximus.

160 Aeris quoque elasticitati tribui debet fons in vacuo, si nimis vas ibi ponatur clausum, à cujus ore descendat tubus apertus (Tab. 5. Fig. 9.) neque vas illud aquâ si repletum: statim namque ac aer à Recipiente exhaeritur, clausus in superiori parte vasis M M aer expanditur, & subjectam aquam premendo, eam cogit, ut per tubum ascendat.

161 Ac simile quid contingit, si hoc met vas in aquam calidam, solo orificio superiori superstite, immergatur; calor enim aerem expandit M M, qui subjectam aquam pellit, sursumque egreditur.

### §. VII.

#### *De Sono.*

A Daerem utique Sonus referendus est; sed tribus hic modis considerari potest, in corpore scilicet sonoro, in medio So-

Tab. 5.  
Fig. 9.

Sonum transmittente, & in Auditū organo.  
Ac ut à primo incipiamus, sit

## PROPOSITIO I.

**162** *Sonus in corpore sonoro spectatus consistit in particularum corporis tremore, & quidem apto ad aerem similiter mouendum.*

Probatur experimentis. 1.<sup>m</sup> Cymbalum, aut quocumque vas sonorum tardi Sonum edit, quandiu tremunt particulae illius; si verò corpore extraneo admoto sistatur tremor, sistitur quoque Sonus.

2.<sup>m</sup> Chorda tensa non sonat, nisi quia tremit; si verò tremorem impediatur, hebetatur Sonus. 3.<sup>m</sup> Vas vitreum aquâ semiplenum si madefacto digito in ore circum-agitetur, sonum emittit; percipitur autem illius tremor in superficie aquæ, quæ motu crispata apparet, dum movetur digitus. Similiter tympanum ideo sonat, quia pellis elastica ac tensa post ictum tremit: sonos autem quandoque emittit lugubres, quod interventu corporis extranei tremor minuitur.

**163** 4.<sup>m</sup> Neque etiam vox humana constitui sine tremore faucium potest. 5.<sup>m</sup> Demum, si instrumenta musica ita sint extraneis corporibus oppressa, vel circumvoluta, ut eorum tremor minuatur, minuitur etiam

etiam Sonus : ergo Sonus , quatenus in corpore sonoro spectatur , in partium illius tremore consistit.

164 Ajunt : Incredibile est , posse levicatu tremorem excitari in toto corpore sonoro , præsertim permagno : totum autem corpus Sonum reddit . Nego majorem : in corpore namque elasticō , quale debet esse sonorum , motus per totum diffunditur facillimē ; si autem circulare sit , ut cymbalum , tremor diutius perseverat , quia nunquam per extremitates terminatur . Confirmatur ; nam si lignum sumatur valde oblongum , ac extremitati uni adhæreat auris , acu verò alia extremitas levissimē abradatur , aure quidem percipitur acūs actio , quia motus communicatur per totam virgam .

## PROPOSITIO II.

165 *Sonus , si medium transmittens consideres , in tremore aeris consistit.*

Probatur hoc quoque experimentis. 1.<sup>m</sup> Si tintinnabulum , vel corpus quodlibet sonorum intra Recipiens ponatur , exhausto aere , Sonus nequaquam auditur ; at contrā aere intromisso , sensim augetur Sonus , vel potius auditur clarius : auditur item Sonus , aere educto , si , interjectis aliis corporibus , possit corpus sonorum cum externo aere

com-

meb

communicari. Hinc si filum æneum à superiori parte rectè clausi Recipientis descendat, ut corpus sonorum contingat, illicò auditur Sonus, quamvis antea, educto aere, non audiretur. Ità, ne corpus sonorum cum Machina communicet, vel super pulvinarium collocatur, vel per filum sericum suspenditur, ut non communicetur tremor.

166 2.<sup>m</sup> Vento adverso afflante Sonus minuitur, secundo verò increscit: ergo in motu aeris consistit Sonus. 3.<sup>m</sup> Quoties aer elasticus transit celerrimè per viarum angustias Sonum edit, sicut in tibiis contingit, & instrumentis quibusque, qui vento sonant; & in fenestræ aut portarum fissuris, vento flante vehementi, cæterisque: sed in hoc angusto elastici aeris transitu, tremorem ejus fieri necesse est: ergo in ejusmodi tremore Sonus consistit.

167 4.<sup>m</sup> Si corpus sonorum in densiori, quam qui solet, aere collocetur, Sonum edit majorem, ac Soni distantia, teste Hauxbeio & Zanotio, aeris densitati respondet: ergo in

168 5.<sup>m</sup> Quando aer reflectit ab obstante, Sonus etiam reflectit, & auditur Echo, ergo in hoc aere moto consistit Sonus. 6.<sup>m</sup> In buccinis ac similibus instrumentis, ubi aer iteratis reflexionibus motum habet majorem, major quoque Sonus redditur. 7.<sup>m</sup> Tandem

dem quidquid aeris motum impedit , aut minuit , impedit quoque aut minuit Sonum , sicut contingit , cùm domūs parietes vestiuntur , aut solum nimio concursu impletur , aut domūs spatium contignationibus intercipitur ; tunc enim Sonus est remissior , quàm cùm nudis parietibus ac fornice patente domus vacua reperitur .

169 Contrà : Si corpus sonorum intra Recipientis rectè clausum collocetur , neque aer extrahatur , Sonus auditur ; sed non potest aer motus ad aures pervenire , cùm obstat Recipientis : ergo . Respondeatur , corpus sonorum motum aeri interno communicare , atque hunc Recipienti , Recipientis denique aeri externo ; hoc indè constat , quia si aer sensim educatur , sensim Sonus extinguitur .

Ad propagationem Soni quod attinet , ea quidem fit per successionem ; neque enim Sonus in eodem , in quo corpus sonorum sonat , momento percipitur . Qua de re sit

### PROPOSITIO III.

170 *Soni propagatio in aere quieto plus minusve temporis insumit , prout ad majorem minoremve distantiam diffunditur.*

Probatur , nam Maraldo , La Caillio , iteratis experimentis compertum est , per-

CUR-

currere Sonum in quolibet secundo temporis minuto exapedas 183, seu palmos 1647: ergo quo major fuerit distantia, ad quam propagatur Sonus, majus infumet tempus. Confirmatur, quia eodem momento, quo clavus maleo percutitur, procreatur Sonus, cum tamen in maxima distantia non illicet audiatur Sonus, sed postquam malleus ad iterandum ictum attollitur.

171 Confirmatur 2.<sup>o</sup>, quia cum in nube fulgur accenditur, fit ille nubis ictæ frangor, qui aliquantò post in tonitru percipitur. Similiter contingit in bombardis. Quo fit, ut ex intervallo temporis inter fulgur & tonitru interjecto, vel etiam inter Lumen aut ignem tormenti bellici, atque Sonum, tam nubis, quam corporis sonantis distantia agnoscatur. Eodem modo per intervallum inter Sonum & Echo, obstaculi distantia cognoscitur, in quo fit repercussus, cum ex dimidio interyalli distantia colligatur.

172 Hæc verò circa Soni propagationem notare oportet; primum, quod vel Sonus sit fortis, vel remissus, idem in determinato spatio percurrente tempus consumit. Deinde, quod adversante vento Soni propagatio retardatur; si verò secundus sit, eadem acceleratur: atque incrementum vel diminutio velocitatis Soni mensura est ventorum.

rum. Neque illud prætereundum, quod tardissima sit præ propagatione Lucis Soni propagatio; illa enim à Sole descendens usque ad Tellurem octo circiter ponit minuta, Sonus autem intra hoc idem tempus non amplius, quam 87.840 exapedas percurreret.

#### PROPOSITIO IV.

173 *Sonus per aquam etiam propagatur.*

Probatur, nam si intra dolium aquâ repletum corpus sonorum collocetur, Sonus auditur. Dein homo in aquam immersus exteriores percipit Sonos, idque eodem ferè modo in diversis aquæ altitudinibus. Etiam qui in aquam immergitur, Sonum percipit corporis sonori cum illo simul immersi: ergo etiam per aquam propagatur Sonus.

174 Confirmatur, quia pisces, licet in aquis degant, Sonum percipiunt; illum autem nunquam perciperent, nisi per aquam diffunderetur Sonus. Neque verò obstat, auditus organum in piscibus non reperiri, cum experientiâ testatum sit, eos Sonum percipere: fortassis, quod ejusmodi sit in eis audiendi organum, ut per totum corpus pertineat; nam, ut Nolletus refert, Sonus à corpore sonoro emissus intra aquam, totum corpus afficit illius, qui simul cum campana in aquam est immersus.

Quam-

175 Quamvis autem hæc Soni propagatio per aquam non à natura ità comparata sit, ut usque ad aures Sonum transmittat, non tamen ideo mirabilem eam esse credendum est; cùm certum sit per quodcumque corpus solidum tremorem transmitti atque Sonum, dummodò illius particulæ sint flexibiles, & elasticæ.

176 Contrà hæc: Sonus nequit, nisi per corpora elasticæ transmitti: sed aqua omnino caret elasticitate, neque enim illa comprimi potest: ergo per illam Sonus transmitti nequit. Falsò; neque enim ad elasticitatem notabilis compressio desideratur: inesse autem aliquam in aqua elasticitatem vel ex eo manifestum est, quòd fontana aqua è maximâ altitudine descendens in aquam flagnantem Sonum edit; sicut marinæ undæ, cùm sese mutuò percutiunt: immò etiam tunc aqua ab aqua resilit.

176 Sequitur Soni quantitas, quæ duplicem causam habet, numerum scilicet particularum aeris, ac velocitatem motū eorum. Indè fit ut Sonus ille multiplici reperciusu augeatur, quia tremulus particularum aeris motus augetur: propterea in musicis instrumentis cavum fabricatur, ut intra illud ob multiplicem reflexionem Sonus resonet: & eadem ratione in carcere, ut narrant auctores, Siciliensi Dionysii Tyranni col-

colloquentium voces ità conformantur, ut clamores audire videaris.

178 Similiter in his tubis figura conica donatur, metalloque elastoico instruuntur, ut ad augendum sonum idoneæ reddantur; quia hoc modo motus aeris multiplici reflexione augetur, sonusque ad spatum usque maximum pervadit, ad Leucam nimis rùm & ultra. Hoc autem in ea vel maximè ratione nititur, quod si tubæ aut instrumenta musica exterius cooperiantur, aut interius corporibus extraneis præpediantur, eorum minuatur sonus. Accedit, quod si materiæ elasticitas minuatur, minuitur quoque sonus, quia reflexiones hebetantur.

179 Jam verò sonus pro obstaculorum, in quæ incurrit, dispositione dicitur. Hinc in domibus coopertis fornicibus, demissæ juxta parietem voces, facillimè audiuntur ex adverso, quia ductum fornicis sequitur sonus, nisi in via occurrat obstaculum. Hoc autem in angulis domûs continet facilius, si ipsi absque intermissione per fornicem continentur; tunc enim voces ab uno ad alium angulum transferuntur, quin percipientur in medio.

## §. VIII.

*De Auditū Organo ad percipiendum  
sonum instruēto.*

**N**unc verò ad Auditū Organi fabricam transea-nus , quæ in tribus maximè continetur. Nam prima pars est *Auricula* cum audiendi meatu , qui vul-

*Tab. 5.* *Fig. 10.* gò dicitur auditivus A ( Tab. 5. Fig. 10. ) : secundo loco ponitur Concavum T pelle quadam obductum , quod *Tympanum* appellatur : tertio loco spectatur *Labyrinthus* L. Hic autem ex tribus adhuc partibus constituitur , nempè ex *Vestibulo* V , ex tribus *Semicirculis* osseis G , & *Cochlea* S ; quæ quidem , sicut & semicirculi , excavata est interiùs in hoc , ut papillas nerveas ibi aer percutiat , in quibus incipit sensatio.

**181** A *Vestibulo* duo egrediuntur Canales , quorum prior N *Aquaeductus Fallopii* dicitur , per quem nervus auditionis , seu ut vocant auditorius , à cerebro descendit in *Labyrinthum* : secundus est canalis E , qui *Tuba Eustachiana* vocatur , & à *Tympano* dicitur ad os. Prætereà quatuor Ossicula sunt juxta pellem *Tympani* collocata , quæ seorsim exhibentur , & majuscula repræsen-

*Fig. 11.* *Tab. 5.* tantur in Figura II. ( Tab. 5. ) ; primum (a)

(a) *Maleus* appellatur: secundum (*e*) *Incus*: tertium *Officulum orbiculare* (*i*); quartum denique *Stapes* (*m.*)

182 Refert autem dicere, ubi sensatio fiat auditus. Nam soni sensationem, seu perceptionem fieri in membrana Tympani plurimi crediderunt, quod nos falsum putamus. Etenim si in utraque canis aure hæc membrana pessoretur, ipse nihilominus vocem percipit: ergo in praedicta membrana nequam fit auditio.

183 Quare soni perceptio, ut nostra quidem fert opinio, fit in Labyrinto. Nam ibi fit soni perceptio, ubi rami inveniuntur nervi auditorii; sed hujusmodi nervus per Labyrintum tantummodo dispergitur: ergo in Labyrinto fit soni perceptio.

184 Igitur auris exterior in id à natura comparata est, ut quamplurimas aeris particulæ accipiat, easque ad *meatum auditivum* deducat, sive ad canalem inter aurem & membranam Tympani interjectum. Atque inde fit, ut ii, quibus absconduntur aures, surdi ferè evadant; propterea quod per canalem auditivum non nisi particulæ ingrediantur, quæ illi respondent, cum omnes anteà auribus respondentibus illuc ingredientur. Eadem ratione soni perceptio augetur, si aut manu admota auris concavum augeatur, vel tubæ artificiosæ secundum par-

tem angustam meatui auditivo applicentur; tunc enim vel levissimus sonus vehementer organum perstringit.

**184** Tubarum autem hujusmodi forma **Tab. 5.** ostenditur (Tab. 5. Fig. 12.) particulæ nam-  
**Fig. 12.** que, quæ tubam ingrediuntur, sic in illius parietibus reflectuntur, ut quemdam veluti focum A efficiant, indeque per angustum canalem ad aurem deducantur. Hinc quemadmodum oculis adhibentur conspicilia, ita hac tuba adjuvandis auribus utuntur surdi.

**185** Itaque in Tympani membranam incidit motus aer: haec est ab exteriori parte concava; quippè quæ à Maleo introrsum retinetur in centro: tremit igitur haec membra, atque externi aeris motum communicat interno; hic verò per tres circulos circumductus, & introductus in Cochleam, nervos pulsat auditorios, membranamque spiralem, quæ in Cochlea latet, de qua mox dicemus.

**186** Membrana igitur Spiralis (Tab. 5. Fig. 13.) quæ dupli spira constat & dimidia, ut observavit Boerhaavius, ex fibris componitur transversis, quæ osseis parietibus Cochleæ adhærent, & per totam concavi longitudinem eam secant in duas: duplex igitur patebit aeri aditus in Cochleam; unus est foramen circulare tenuissimâ obducum membranâ, quod motum aeris Tym-  
pa-

pani communicat aëri cochleæ; alterum est foramen ovale, per quod aer alterius divisionis cochleæ communicat cum semicirculis osseis ac vestibulo: ex quibus efficitur, mirabilem admodum hujus organi fabricam existere.

### §. IX.

#### *De Harmonia ac Dissonantia.*

**A**D sonum pertinent Harmonia & Dissonantia. Est verò harmonia seu concentus jucunda quædam gravis acutique soni mistura; sicut contrà dissonantia gravis est acuti soni injucunda copulatio. Sit igitur

#### PROPOSITIO I.

187 *Quod gravis sit sonus aut acutus, id ex vibrationum frequentia dependet.*

Nam virga elæstica quod brevior est, eò frequentiores reddit vibrations, acutioremque dat sonum: ergo in vibrationum frequentiam gravis acutique soni discrimen positum sit. Confirmatur, quia quod magis chorda tenditur, eò frequentiores vibrations habebit, ut potè quæ majorem nacta sit elasticitatem; hoc autem ipso acutiorem etiam sonum efficit: ergo sonus acutus à frequentioribus vibrationibus pendet.

Con-

188 Confirmatur 2.<sup>o</sup>, quia chorda eadem sub eadem tensione plures ac varios sonos peragit, si digito interposito ejus longitudine varietur; semperque acutior est sonus, quoties longitudine minuitur: sed imminutâ longitudine, vibrationum frequentia increscit: ergo acutiori semper sono frequentiores respondent vibrationes.

189 Hinc longè diversum est remissum esse sonum aut intentum, aut gravem vel acutum esse; sonus enim ut remissus sit vel intentus, id habet à quantitate particularum aeris, aut à vi motū earum; ut verò gravis aut acutus sit, à sola vibrationum frequentiâ pendet. Hinc etiam corpus sonorum, cymbalum puta, aut chorda tensa, vel ea leviter vel fortiter percussantur, ejusdem generis sonum reddunt, nec pulsationis differentia graviorem aut acutiem sonum efficiunt. His positis, sequuntur

### COROLLARIUM I.

190 Hinc patet, cur chorda sonora, quò crassior est, graviorem sonum edit; seniores namque vibrationes peragit.

### COROLLARIUM II.

191 Hinc, cur chorda sonora, si non ubique eandem habeat crassitudinem, nullum reddit sonum perfectum; quia pars frequen-